UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Syntagma Ivris || Vniversi, Atqve Legvm || Pene Omnivm Gentivm, Et || Rervm Pvblicarvm Præcipvarvm,||

**Grégoire, Pierre**

**Francofurti ad Mœnum, M.D.XCIX.**

**VD16 VD16 G 2999**

Liber IX. De Matrimoniis & nuptiis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-97739

Visual Library

Ὅς δέκε προσμάξῃ γλυκερώτερα χείλεσι χείλη,
Βεβριθόμενος στεφάνοισιν ἑὰν πρὸς μητέρ᾽ ἀπῆλθεν:
Ὄλβιος ὅστις παισὶ φιλήματα κεῖνα διαιτᾷ.

Id eſt:

28 *Niſæi Megarenſes, remis præſtantes,*
*Felices habitetis, quoniam præ aliis hoſpitibus,*
*Atticum Dioclea puerorum amatorem honore affeciſtis:*
*Semper primo vere ad eius tumulum congregati*
*Pueri certant oſculi victoriam reportare.*
*Quique labris dulcius applicauerit,*
*Is coronis honoratus ad ſuam matrem reuertitur.*
*Beatus ille quiſque inter pueros de oſculis iudicat.*

## De Solutione ſponſaliorum. Cap. 9.

1 *Sponſalia impune facile diſſolui nequeunt.*
2 *Sponſalia ſoluuntur morte.*
3 *Mutuo diſſenſu.*
4 *Alterius concubitu.*
5 *Superueniente lepra, vel inſigni morbo.*
6 *Non impletis conditionibus.*
7 *Nouæ religionis ſuſceptione.*
8 *Sponſa facta aliunde prægnante, & ſi ea adulterata fuerit.*
9 *Inopia ſponſalia non diſſoluit.*
10 *Sponſalibus diſſolutis quomodo repetantur data.*
11 *Sponſalia diſſolubilia ſunt tantum quæ futuram, non quæ præſentem habent promiſſionem.*
12 *Vxores deſponſandi & ducendi apud Iudæos formula.*

1 Diſſolutio ſponſalium † facilis non eſt, etſi videatur. Ideo & cautum, vt parentes qui irrita fecerint ſponſalia filiorum, a communione triennio ſeparētur, *can. ſi qui parentes 31. q. 3. arg. can. ſi cui. de pœnit. diſt.* 1. & ſimiliter filii, ſi ſint in culpa, ſi tamen filii ſecundum promiſſionem factam contraxerint, excuſantur, vtique ſcilicet, quo ad pœnam eccleſiæ, ſed non quoad reatum, ex quo in contrarium iuſſi ſunt.

2 ¶ Sponſalia tamē, futurarum nuptiarum inquam pactiones, aliquando diſſolui contingit pluribus de cauſſis. Quarum frequentiores tantum annotabo. reliquas namque videre licet apud Angelum de Clauaſio *in ſumma.* Prima ad mortem pertinet, quæ vt omnium periodus, finis & ſolutio eſt, §. *deinde, de nupt. in Nouel.* ſic & ſponſalia ſoluit, *l. fin. C. de ſponſal.* ¶ Alia † ex
3 mutuo diſſenſu, ſeu conſenſu in diſſoluendo conſiſtit, *cap. 2. de ſponſal. apud Gregor.* etſi gloſſa *in dict. c. 2* quædam aliud ſentiat, quam tamen reiiciunt Ioannes Andreas, & Panormitanus *in ca.*
4 *2. de ſponſal.* ¶ Tertio, † ſi qui primam deſponſauit pollicitatione futurarum nuptiarum, cum altera ſe commiſcuerit, *c. ſicut ex*
5 *literis, de ſponſ. ca. ſi in virum. & c. 1. de ſponſ. duor.* ¶ Quarto, † ſi poſt ſponſalia huiuſmodi, alter ſponſatorum deciderit vel in lepram, *c. literas. de coniug. lepros.* vel in corporis inſignem quandam deformitatem, *c. quemadmodum, de iureiur.* puta membro aliquo inciſo. ¶ Quinto, † ſi non ſatis fiat conditionibus & pa- 6
ctionibus ſponſaliorum, *c. de illis. de condit. appoſ.* ¶ Sexto, † ſi al- 7
ter ex ſponſis, poſt ſponſalia alterius & diuerſæ, quam tunc eſſet, fiat cultor religionis, *l. Deo nobis, de epiſc. & cler.* veluti ſi fiat hæreticus, vt notat Harmenopolus *lib. 4. tit.* 1. *facit l. ſi legib. de epiſcop. audien.* ¶ Septimo, † ſi ex alieno ſemine fuerit deprehenſa 8
ſponſa vterum geſtare, *l. ſi conſtante, ſolut. matrim. P. Harmenop. lib. 4. tit.* 1. Sic inter leges Langobardorum, Rhotarius eorum rex ſtatuit, *l. 2. & 3. de ſponſal. libr. 2. legum Langobard.* vt ſi fuerit ſponſa adulterata, & non poterit purgari hoc crimine illato, a duodecim proximis, diſſoluantur ſponſalia, & illa puniatur pœna adulterii. Item, ſi leproſa, vel dæmoniaca, aut ambobus oculis capta fuerit, tunc quoque ſponſus recipiat res, quas dedit, & non cogatur illam tollere. ¶ Porro † inopia ſufficiens impune 9
viſa non eſt ſponſalia ſoluere: ſicuti ab Ephoris pecunia multati ſunt, *Plutarch. in Lyſandro.* parentes eius, cui deſponſata fuerat filia Lyſandri: quod ſponſalibus renuntiaſſent, cognita poſt mortem Lyſandri eius inopia. ¶ Solutis † ſpōſalibus, ſi is qui aliquid 10
dedit eo nomine, vt in vxorem haberet, præbuerit cauſſam ſolutioni, non reuocat data: contra, ſi non dederit, nā reuocat, *l. cum veterum 15. de don. ant. nupt.* Quin & ea quæ parentibus filiæ munera data ſunt, ea intentione vt donans haberet in vxorem, ſi id non conſequatur reuocantur, *l. 2. C. de donat. ante nupt.*

¶ Notandum † tamen nos de ſponſalibus agere, quę præſen- 11
tem non habent promiſſionem, quibus ſcilicet nec benedictio adeſt, nec quis accipit in ſuam vxorem, ſed ſe accepturum pollicetur: alioquin præſens promiſſio illa eſſet ad matrimonii inſtar indiſſolubilis, *cap. fin. de ſponſ. duo.* Sic enim & ſtatuit Alexius Comnenus Imperatōr, *in iure orientali & conſtitut. Imperatoris Alexii Comneni, tit. de ſponſ. cap. 2.* ad ſuggeſtionem Curōpalatæ, & magni Drungarii Viglæ D. Ioannis Thracenſis, anno a creatione 6600. menſe Martio: indictione 15. qua declaratum, ſponſalia, quæ ſacra benedictione munita ſunt, diſſolui non poſſe.

¶ Et † Rabini quoque de iure ſuo teſtantur in מצותעשה 12
mitzot gaſſe, in præceptis affirmatiuis, *præcept. 48.* his verbis in Latium conuerſis, initianda vxor ducenda, pecunia, vel ſcripto, vel concubitu, idque faciendum coram teſtibus. ¶ Subarrhatio fieri poteſt dimidio ſiclo. Scriptum, quod conſenſum explicet, tale eſſe poteſt, filia tua vxor mea eſt. Quod concubitus matrimonium faciat, lex ipſa docet. Quando igitur, vno horū trium eam ſanctificauit, vxor illus cenſetur, & eſt prohibita toti mundo, hæc illi.

# DE MATRIMONIIS ET NVPTIIS LIBER IX.

## De nomine nuptiarum, & ſynonymis matrimonii. Cap. 1.

1 *Synonyma verbi matrimonium.*
2 *Matrimonii etymon, quare potius a matre quam a patre.*
3 *Connubium & contubernium quid, & quare iuſtæ nuptiæ inter ſeruos non erant olim, hodie ſunt.*
4 *Nuptiarum etymon, maritus, marita quid.*
5 *Velatæ virgines nubentes, & quare nubentes velarentur.*
6 *Velum nuptiarum flammea erat, & quid eſſent.*
7 *Velum duplex, virginum, veſtalium.*

1 Synonyma ſunt matrimonium, † coniugium, connubium, nuptiæ, conſortiū, & pro eadem re promiſcue vſurpata ab Vlpiano, *l. in eo iure 45. de rit.*
2 *nupt.* & aliis Iuriſconſultis. ¶ Matrimoniū, † quaſi matris munus, a matre potius quam a patre dictum, ob onus quod ſubiit mater in vtero gerendo: dolores in edendo, labores in nutriendo, *c. ex literis, de conuerſ. coniugat.*

3 ¶ Connubium, † ducendæ vxoris iure facultas, nullum cum ſeruis, vt ait Vlpianus *in tit. 5.* Contubernium tamen cum illis. Ita contubernii nomen non proprie ad liberarum perſonarum nuptias iure gentilium pertinet, ſed ad ſeruas, dum cum ancillis & ſeruis coniunctio fit, vt ait Conſtantinus Cæſar, *l. 3. de inceſt. nupt. lib. 5. C. tit. 5. §. ſi vero ab initio. de nupt. in nouell.* aliquando tamen & de liberis contubernium dicitur, *Iul. Paul. lib. 2. recep. ſentent. tit. 20.* ideo nec ſerui ob violatum contubernium accuſantur adulterii illo iure, *Dioclet. & Maxim. l. ſerui. 23. ad l. Iul. de adult. lib. 9. C. tit. 9.* Eſt namque contubernium generale nomen, nullius ſpecialis vinculi, quam ſocietatis, referens modum συσσίτιον, συνοίκησις, coniunctus, vt apud Vegetium 1. *de re milit.* Contubernium eſt tabernaculum ſeu tentorium decem militum, qui & contubernales, vt & apud Iulium Cæſarem *3. comment.* Et Columella *1. de re ruſtic.* ſuadet dominis dare ſeruo villico contubernalem mulierem, quæ eum contineat, hoc eſt, vxorem, quæ tamen cum illis vere non dicitur, eo quod iſtæ nuptiæ ex legum & iuris ciuilis pendent decretis, §. 1. *de nupt. apud Iuſtin.* quorum ſeruus incapax eſt, quive pro nullo in iis, quæ ciuilis iuris ſunt, habetur, *l. quod attinet 33. de regul. iur. P.* Verum hodie inter Chriſtianos, & ſeruorum nuptiæ ſunt, & legitima coniugia, eaque benedicuntur: quia & ſerui Chriſtiani aliorum ſacramentotū participes ſunt, vt Comnenus Alexius ſtatuit in *iure orientali conſtitut. Comneni tit.* περὶ μα[illegible] καὶ ἱερολογίας τῶν δούλων.

Nec ſeruus vel liber apud Deum, *ad Colloſſ. 3.* & iura Pontificia
coniugia horum probant, *de coniug. ſeruorum, lib. 4. Decret. Gre.
tit. 9. ca. omnibus. & can. dictum eſt nobis 29. q. 2. & in concil. Ma-
tienſi, c. 10. ex conſtitu. Babylon. 30.*

¶ Nuptię † à nubẽdo ſeu velando dictæ ſunt *c. nec illud 10. q. 5.*
4 Nubo enim velo ſignat, & tego. Quamobrem proprie nubere
dicuntur mulieres, ducere autem vxorem viri, etſi prior appel-
latio vtrique coniugum detur: vt etiam maritum & maritam a-
5 liquando dicimus. ¶ Moris erat, † vt ait D. Ambroſ. *lib. de pa-
triarch.* antiquis, vt virgines teſtandæ pudoris cauſſa, qui viri cõ-
iunctionem præcedere debet, caput obnuberent & velarent. Sic
& Rebecca deſponſata Iſaaco abſenti, cum eum primum vidit,
& cognouit eum eſſe, cui vxor duceretur, caput ſuum obnube-
re cœpit, *Geneſ. 24.* Iſidorus autem ideo velari nubentes tra-
dit in ſymbolum, vt nouerint viris ſe eſſe ſubditas. Siquidem e-
ligunt tunc pro capite maritum, cui ſe ſubmittunt. *Iſid. lib. 2. de
offic. c. 19. ca. 15. can. fœminæ. 30. q. 5.* ita caput vxoris vir, caput au-
tem viri Chriſtus, *1. Corinth. 11. can. cum caput. can. eſt ordo 33. q. 5.*
Fiebat autem velatio ante nuptias in ſponſalibus, quod vel ex
Pelagii Papæ ſanctione liquet, dum ait: cum alio velatam non
nuptam, nubentem iterum: primo mortuo non inducere biga-
miam, *ca. Valentino 34. diſtinct. c. debitum, de bigam.* priori hæc ſe-
cunda accedit, quam firmat Varro, 4. *de ling. Latin. Neptunus*, in-
quit, *quod mare terras obnubit, vt nubes cœlum a nuptu, hoc eſt, aper-
tione, vt antiqui, a quo nuptiæ nuptuſque dictus.* Pertinet huc il-
lud Lucani in 2. dum agit de nuptiis Martiæ ſecundo cum Cato-
ne nubentis,

*Lutea demiſſos velarunt flammea vultus.*

6 ¶ Flammeum † namque, dum nubebant, accipiebant, quod
perpetuo vxor Flaminis ferebat, inauguratione felici, vt nuptię,
quemadmodum Flaminis eſſent indiſſolubiles. Sic & Plinius *lib.
21. c. 8.* etiam notat, *Lutei*, inquit, *ſcilicet coloris honorem antiquiſ-
ſimum in nuptalibus flammeis totũ fœminis cõceſſum.* Meminit Val.
Maxim. *lib. 6. c. 3.* C. Sulpitium Gallũ, vxorẽ dimiſiſſe, quod eam
capite aperto foris verſatã cognouerat, vt inde pudicas matro-
nas capite fuiſſe velatas colligere poſſimus, vtpote præfiniente
lege vxoribus oculos tantum maritales, quibus & formã ſuam
approbarent, & placere deſiderarent: & vlterior conſpectus il-
larum ſuperuacua irritatione accerſitus, in ſuſpicione & crimi-
ne hęreat neceſſe viſum eſt. Feſtus *ricam* ſcribit dici veſtimẽtum
quadratum fimbriatum purpureum, quo flaminicæ pro pallio-
lo vtebantur. Nonius Marcellus libello de generibus veſtimen-
torum flammeum in maſculino dixit genere, dum de eo & Reci-
nio in hæc verba meminit: *Flammeus, veſtis, vel tegmen, quo capi-
ta matronæ tegunt. Plautus aulula, flammearii, violarii, carinarii.
Ricinium, quod nunc Maſurtium dicitur, palliolum fœmineũ. Var-
ro* ταφῆ μενίππου: *Nihilo magis dicere muliebre, quam de muliebri ri-
cinio palliolum ſimplex. Idem de vita populi Romani, libr. 1. Et quo
mulieres in aduerſis rebus ac luctibus cum omnem veſtium delica-
tiorem ac luxurioſum poſtea inſtitutum ponunt, ricinia ſumunt.* Ve-
lantur & virgines Veſtales tanquam Deo deſponſatæ. ¶ Eſtque
7 velum † apud ſummos Pontif. mulierum obſequio diuino man-
cipatarũ, conuerſionis *ex concil. Arelaten. in c. ſacrum. c. 4. de re-
gularibus, lib. 3. Decret. tit. 31. can. viduam. can. omnes 27. q. 1. can.
ſanctimoniales. & c. virgines. 20. q. 1.* & velum ſacrum.

## Nuptiarum finitio, & de vetita polygamia, & vago concubitu. Cap. 2.

1 *Nuptiæ quid.*
2 *Marium coniunctio aliena a nuptiis, quæ viri & fœminæ ſunt, & de abominanda marium mixtione.*
3 *Perſæ, Romani, impia virili commixtione notati.*
4 *Nero Cæſar Sporum libertum, & Pythagoram exſectum in vxorem duxit.*
5 *Auitus Cæſar Hieroclem aurigam pro marito accepit.*
6 *De abominatione & vindicta huius mixtionis virilis.*
7 *Gallus gallum iniens viuus comburebatur.*
8 *Muliebria paſſi a cœtu hominum, vt infames erant, & a poſtulando.*
9 *Stuprum virile turpius adulterio, & ſtupri acceptiones.*
10 *Matrimonium maris & fœminæ coniunctio, non marium & fœminæ, vel maris & fœminarum quare dicatur: & quod digamia & polygamia in vno matrimonio non ſit.*
11 *Digamia ſeuerius vindicata in Lamecho, quã parricidiũ Caini.*
12 *Duas habere vxores, vel ſponſam cum vxore vel duos viros, prohibitum iure ciuili, & quomodo punitum nu. 15.*
13 *Matrimonium quare dicatur coniunctio maris & fœminæ in hominibus, quæ communis ſit brutis alioquin.*
14 *Animalia bruta quæ non niſi cum cõpare fœmina ſola miſcentur.*
15 *Gotthis prohibuit digamiam rex Athalaricus, Moſcouitis Ioannes Metropolita.*
16 *Guntrandus excommunicatus duas vxores habens.*
17 *Garamantes vago concubitu vſi.*
18 *Augilæ vxores prima nocte nuptiarum, omnium concubitibus expoſitæ.*
19 *Concubitus promiſcuus Troglodytis, Britannis, Tyrrhenis, Ichthiophagis.*
20 *Polygamia obtinuit apud Athenienſes, Parthos, Thraces, Ægyptios, Perſas.*
21 *Vxores plures ducere voluit aliquando lege facta permittere Iulius Cæſar, liberorum quærendorum cauſſa.*
22 *Ethnici plures vxores habuerunt.*
*Crates & Plato communes nuptias eſſe debere voluerunt.*
*Agareni tot ducunt, quot nutrire poſſunt, ibid.*
*Lithuaniæ vxores plures habent concubinos.*
*Nicolaitis vxores communes & Gnoſticis & Epihaniſtis.*
23 *In Arabia vna ſolum erat vxor conſanguineis.*
*Britannis quinque denis duodeniſue.*
24 *Scotis vxores pro opibus ex lege ducere nobilibus licebat: plebeis, communes.*
25 *Defloratio virginis nuptæ, prima nocte debebatur regi, Scotorum lege. Sublata illa lex a Malcolmo, & aureus nummus ſubrogatus pudicitiæ redemtæ.*
26 *Anabaptiſtis vxores communes.*
27 *Phœnices, filias ante legitimas nuptias proſtituebant, quod ſublatum a Conſtantino Magno.*
28 *Nupta lege Amorrhæorum præſidebat per ſeptem dies in porta in fornicatione.*
29 *Valentiniani Cæſaris lex, licere duas vxores accipere.*
30 *Cabades regno a Perſis priuatus, quod legem ſanxiſſet, quod vxores eſſent communes.*
31 *Viles coniuges vna plures ſunt apud Numidas & Mauros.*

NVptiæ † ſeu matrimonium eſt, maris & fœminæ cõiunctio, 1
indiuiduam vitæ conſuetudinẽ continens, *l. 1. de rit. nup. lib.
23. P. §. de pat. pot. ap. Iuſtin. can. 1. 27. c. 2.* diuini & humani iuris cõ-
municatio dicitur in primis, maris & fœminæ coniunctio, quod
Vlp. *l. 1. § ſi. de iuſtit. & iur. lib. 1. P. tit. 1.* & Iuſtin. *§. 1. de iur. nat.* pro-
bant & Cicero 1. *offic.* & Propertius lib. 2.

*Exemplo iunctæ tibi ſint in amore columbæ,*
*Maſculus & totum fœmina coniugium.*

Ex quibus primum colligitur, alienã a legitima coniunctione 2
eſſe commixtionem marium inter ſe, impiam & aduerſam iuri
naturæ, diuino & humano. Infanda quippe habita eſt illa luxu-
ria & libido, quę immutat naturalẽ coeundi vſum, dum fœminæ
immutant naturalẽ vſum, & maſculi in maſculos deteſtabilem
ſpurcitiem & turpitudinẽ operantur. ¶ Quale † ſcelus apud Per- 3
ſas viguit olim auctore Agathio *lib. 2. belli Gotthorum.* apud Ro-
man. teſte D. Paulo *c. 1.* de quo Lactantius Firmianus, *lib. 6. c. 23.*
¶ Refertq; Xiphilinus ex Dione *in Nerone.* eo turpitudinis & im- 4
pietatis prolapſum Neronem ad prodigium vſq; abominandum
inſigniter principem, vt Sporum libertum ſuum prius exſectum
pro vxore duxerit, pactis initis matrimonialibus. Idque rurſum
cum alio Pythagora quodã feciſſe. ¶ Meminit † & idem auctor, 5
*Xiphilinus, in Auito*, Auitum alium ſceleſtiſſimum Cæſarem, qui
dictus pſeudo Antoninus, & Sardanapalus, Hieroclẽ quendam
aurigam in maritum accepiſſe, ipſo ſe pro vxore gerente. ¶ Ideo
leges † violatę hoc modo naturæ morte vlciſcuntur exſecrãdum 6
ſcelus, diuinæ *Leu. 18. Exo. 20. Gen. 19. ad Rom. 1. Lactan. lib. 6. c. 23.*
& humanæ, *l. cum vir. ad l. Iul. de adult. tit. vt nõ luxurien. cont. nat.
in Nouell.* non ſolum in agentes, ſed & in conſentientes agentib.
*ad Rom. c. 1. l. qui domum ſuam, ad l. Iul. de adult. in P.* Eſt enim hoc
ſcelus ex profeſſo, quod humanæ naturæ vim inferat, & interi-
tum humano generi procuret, præter alia, quæ vna concurrunt
vitia, in ſterili ſolo ſemine effuſo, quod in Ona filio Iudæ ſeuere
vindicauit Deus *Geneſ. 38.* ¶ Viſumq; † etiã hoc ipſum in brutis 7
prodigioſum: Nã & erat lex Plutarcho teſte, *libel. vtrum bruta ratio.
vtan.* ſi gallus gallũ ineat, quamuis gallina abſit, viuus combura-
tur, vatis cuiuſdam auſpiciſve iuſſu facinus perpetratũ magnum
& atrox eſſe denuntiantis. ¶ Vnde † merito muliebria paſſum 8
prætor a poſtulando remouet, *l. 1. §. remouet. de poſtul. in P.* Et ra-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tus Iuriſconſultus metũ, ne patiatur quis hoc ſcelus, grauiorem
eſſe timore mortis, *l. iſti quidem, quod met. cau. in P.* Fuitque hæc
nota turpiſſima, qua Iulius Cæſar alioquin vir magnę virtutis, ex
familiaritate Nicomedis contraxit, vt vulgi fieret ideo fabula, vt
narrat Suetonius *in Iulio Cæſare*. Atque pontificia lege a cœtu
hominum tales arcentur, *c. vt clericorum mores. de vit. & hon. cle-*
9 *ric. c. clerici. de excel præla. ap. Gregor.* ¶ Turpiuſque † adulterio
viſum eſt ſtuprum, *c. adulterii, & can. flagitia. 32. q. 7. d. ca. vt cle-*
*ricorum*, virile, vocant enim hanc in maſculos turpitudinem le-
ges ſtuprum, non matrimonium, *l. ſtuprum, §. fin. de adult. in P.*
Quamuis & ſtuprum ad alias illicitas referatur coniunctiones,
*can. lex illa 36. qu. 1. late Angel. tractat. de malefic. verb. che hay a-*
*dulterato.* Et quia, vt ait Ouid. 3. *de arte aman.*

*Non bene cum ſociis regna, Venuſque manent.*

Atque poſt illum apud Senecam Tragœdum, *Senec. Tragœd.*
*8. quæ Agamemnon.* Ægiſthus,

*Nec regna ſocium ferre, nec tedæ ſciunt.*

10 ¶ Adiecimus † in finitione, & verba illa maris & fœminę ſin-
gulari numero concepta. Neque enim dicimus maris & fœmi-
narum, vel marium & fœminæ, vel marium & fœminarum: Si-
quidem vna vni coniungi debet, ſi matrimoniũ vel nuptiæ ſint.
Et vnuſquiſque ob vitandam fornicationem vxorem ſuam, & ea
virum vnum habere debet, *D. Paul. 1. Cor. 7.* vt digamiam, poly-
gamiam & vagos concubitus a nuptiarum conuentione exclu-
damus. Siquidem prima introductio legem accepit in Geneſi
mundi, *Geneſ. 2. ca. lex diuinæ 27. q. 2. Matth. 19. Relinquet homo pa-*
*trem ſuum & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne*
11 *vna*, dictum ibi duo, non plures in carne vna. Quam legem in-
teruertiſſe ſummopere Deo diſplicuit, ſeueriuſq; vltus eſt, quam
parricidium: ſiquidem de Lamecho, qui primus bigamiam in-
uexit, dictum eſt, eius ſceleris vindictam per ſeptuaginta ſeptem
generationes fore exigendam: at de Caini erga Abelem fratrem
parricidio, ſepties tantum fuit poſtulata vltio *Gen. 4. can. an non,*
12 *24. q. 3.* Iure ciuili † duas vxores vel alteram ſponſam, & alteram
vxorem, vel duos viros, aut alterum ſponſum, alterum maritum
habere prohibitum, *§. affinitatis, in fin. & §. ſocrum. verſic. item de*
*nupt. ap. Iuſti.* & qui duas habent vel ducũt vxores, infames fiunt,
*l. 1. § fin. & l. quid ergo, § 1. de iis qui notan. infam. in P. l. 2. de inceſt.*
*nup. lib. 5 C tit. 5. l. ea quæ, de don. an. C Innoc 3. c. nuper. de bigam. li. 1.*
*Decret. tit. 22. c. licet. de ſponſ. duor.* Verũ & vltra ſtupri pœna ple-
ctendos dicemus, *Valerian. & Galen. l. cum qui duas 18. ad l. Iul. de*
*adult. lib 9. C. tit. 9.* vel adulterii: nam adulterium vere eſt ſecun-
darum nuptiarum attentatio cum primę teneant, nec aliæ ſequi
poſſint viuente coniuge, *Matth. 19. Marc. 6.* & cum vir adhærere
debeat primæ, *in conſtit. cauſ. crim. editis in comitiis Auguſtæ latini-*
*tate donatis per Iuſtinum Gotherum, art. 121.* Sicque in vniuerſali
ſexto concilio vetitum ſponſam, videlicet vxorem, dum adhuc
ſponſus in viuis eſt, cum aliis in matrimonii conſuetudinem coi-
re, adulterium, rem manifeſte ſtatuens Carolus Magnus etiam
Imperator, eũ eamve qui quæve ſe flagitio aliarum nuptiarũ vi-
uente altero coniuge coniunxerit adulterii capitali pœna ſubii-
cit, vtpote grauioris & turpioris criminis, quam adulterii reos,
*c. 1. §. fi. de ſponſ. duor. li. 4. Decr. tit. 4.* ¶ Hac † nota monogamiæ,
13 coniunctio, quæ naturalis eſt maris & fœminæ, communis bru-
tis & hominibus, propriam recipit cum de hominibus agimus,
matrimonii appellationem. *Nam nos*, inquit Vlpianus *l. 1. §. fin.*
*de iuſt. & iur. §. fin. de iur. nat eam matrimonium appellamus.* Ideo
concubitus communes brutis relinquuntur indifferentes. ¶ Et
14 ſi † quædam adulteria non admittant, neq; aliis quam cum com-
pari & ſocia fœmina vna conueniant, vt elephantes, *Plin. libr. 8.*
*c. 5.* aſpides *Plin. lib. 8. c. 23.* delphini, *Plin. lib 9. c. 8.* turtures, æth-
nei piſces, *Claud. Ælian. lib. 1. de hiſtor. animal. c. 13.* ¶ Prohibuit
15 & Athalaricus † Gotthorum & Romanorũ rex edicto, *exſtat e-*
*dictum, lib. 9. varia. epiſt. Caſſiod. c. 18.* ne vno tempore duabus v-
xoribus quiſquam coniungeretur, alioquin rerum ſuarum amiſ-
ſione plectendum Cato *lib. de re ruſtic, c. 143.* etiam villicum in-
ſtruens, vxore ea contentus eſto, quam dominus dederit, ea te
metuat, &c. Apud Moſcouitas ſeu Ruthenos exſtat canon Io-
annis Metropolitæ, quem vt prophetam honorant, ſi maritus
relicta priore vxore alteram duxerit, vel vxori alteri nupſerit,
ad communionem, niſi ad matrimonium redierit, non admitta-
tur, *Sigiſmundus liber Baro, in commenta. rerum Moſcouitar. in*
*canonibus Ioannis.*

16 ¶ Sanctus Germanus † excommunicauit Gunthrandum re-
gem Aureliorum filium Clotarii regis Francorum, quod duas
vxores, ſororeſque duxiſſet Marcoueifam. & inductam Mero-
fledẽ, quę, cum eã rex nollet dimittere, paſſa iudiciũ Dei interiit,
vt ſcribit Greg *li. 4. hiſt. Frãc.* Turonen. Epiſcopus. ¶ Feris † bru- 17
tis illi vere homines turpiores vidẽtur & inſipientiores, quibus
nulla certa vxor, ſed Venus vaga, ex grege barbarorum, qui nulla
politia inſtructi, mancipia omniũ vitiorũ facti ſunt, quales refe-
runt fuiſſe Garamantes, populum Africæ minoris in Cirenaica
regione, vt ait Pompo. Mela & Plinius *lib. 1. c. 8. Plin. 5. c. 8.* ¶ Qui-
bus vicini † eodem teſte Mela *d. 1. lib. c. 8.* Augilæ aliquantum,
ſed non omnino conſentiunt, proprium fœminis nubentibus 18
concedentes nocte qua nubũt, omnium ſtupro patere, qui cum
munere aduenerint. Et tum cum plurimis concubuiſſe maxi-
mum decus, in reliquum autem tempus pudicitia exſiſtẽte inſi-
gni. ¶ Promiſcuos concubitus & habebant Æthiopes, *Solinus ca.*
*33.* Troglodytæ, *Strabo lib. 16.* Britanni *Cæſar, lib. 5. comment.* olim, 19
Icthiophagi, *Herod. in 4. & Diod. in 4.* & fere reliqui Barbari. Et
lege Thyrrhenorum, *Athenæus lib. 12. dipno. c. 5.* mulieres com-
munes fuerunt. ¶ Et alii, † qui polygamiam probant, vt Athe-
nienſes aliquando *Gellius lib. 15. c. 20.* Parthi, Thraces, Ægyptii, 20
*Euſeb. lib. 6. præpa. Euange. Diodo. in 2. de Thracib. quoque Hera-*
*clides, de Politiis in illis*, Perſæ, quorum morem improbat & re-
fellit Cicero *5. Verrina.* Helius Cinna tribunus plebis pleriſque
confeſſus eſt habuiſſe ſe ſcriptam paratamque legem, qua Iulius
Cæſar ferre iuſſiſſet, cum ipſe abeſſet, vti vxores liberorum quæ-
rendorum cauſſa, quas & quot ducere vellent liceret, teſte Sue-
tonio *Tranquil. in Iulio c. 52.* ¶ Et † id commune fuiſſe, plures v-
xores inquam habere, Ethnicis, innuit Innocentius 3. *in c. gaude-* 21
*mus, c. 8. §. quia vero, de diuort. lib. 4. Decret. tit. 19. 22.* ¶ Erat † &
Cratis philoſophi nomine tenus, nuptias communes eſſe debe- 22
re dogma, vt ait Tatianus *Aſſyrius oratio. contra gentes.* Sanciuit
idem ridicule Plato *in Tymæo*, Agareni tot vxores ducunt, quot
nutrire poſſunt. Apud Lituanos Morauiæ gentem, quæ hodie
iuris eſt Boemici, patrio more nobiles mulieres vnum pluresve
pro viri facultate, concubinos nutrire conſueuerant, qui negli-
gente marito onera matrimonii ſubirent, teſte Ænea Syluio *lib.*
*4. de dict. & fact. Alphonſi, c. 8.* Habebant & Nicolaitæ hęretici v-
xores communes, quamuis ſinguli ſingulas ducerent, *Tertul. lib.*
*1. cont. Marcion.* Item & Gnoſtici, *Epiphan. tom. 2. libr. 1. cont hæ-*
*reſ. 25.* & Epiphanis ſecta, *eod. lib. hereſ. 3.* ¶ Et pariter † in Arabia
felici conſuetudo erat vt vna omnibus conſanguineis vxor eſſet, 23
teſte Strabone, *lib. 16.* In Britannia quæ nũc Anglia, olim ex con-
ſuetudine deni duodeniue quinque habebãt, auctore Iulio Cæ-
ſare *lib. 5. comment.* vxores communes.

¶ Scribit † Polydorus Virgilius, *lib 10. Hiſto. Anglicæ, pag. 170.*
*Et lib. 1. de inuent. rer. c. 4.* fuiſſe iam inde a principio apud Scotos 24
inſtitutum ſeu legem, vt liceret cuiq. pro opibus ducere vxores
& nobilib. plebeiorũ vxores habere cõmunes. ¶ Ac domino loci
virginẽ nuptã vitiare, antequam vir cũ ea cubuiſſet, illa duo ſu- 25
periora religionẽ Chriſtianã ſtatim ſuſtuliſſe, vbi eam Scoti ſunt
cõplexi. iſtud poſterius longo poſt tempore Malcolmum regem
ſanctiſſimę Margaritæ vxoris hortatu ſublatũ vt inſtitutum poſt
homines natos turpiſſimũ, eumque ſanxiſſe anno ſalutis huma-
næ 1090. vt virgo nupta nummum aureum, pudicitiæ redimen-
dæ cauſſa, domino loci penderet, Idque etiam nunc ſeruari. ¶ In-
uexerant cum ceteris ſuis erroribus pari modo Anabaptiſtæ po-
lygamiam, permittentes quoq; promiſcuam libidinem. vt ſcri- 26
bit Lambertus Hortenſius Monfortius, *l b tumultuũ Anabapt.*

¶ Apud † Phœnices ante Conſtantinum Magnum, qui Li-
banum montem ad Heliopolim incolebant, virgines ſuas ante
legitimas nuptias ex lege proſtituere receptum erat, quod deſiit 27
Conſtantini temporibus teſte Nicephoro Caliſt. *lib. 7. hiſtor. ec-*
*cleſ. c. 46.* ¶ Erat † & lex Amorrhæorum præſidere nuptam in 28
fornicatione per ſeptem dies iuxta portam, *in lib. qui teſtamen-*
*tum 12 patriarch inſcribitur, cap. 2.* ¶ Scribunt † Nicephorus Ca- 29
liſt. *lib. 11. hiſtor. c. 33.* & Socrates, *lib. 8. Hiſtor. tripa. cap. 11.* Eccle-
ſiaſticus, & poſt illos Ioannes Cuſpinianus *in Cæſar. in vita Va-*
*lentinia. & Valentis.* Valentinianum primum, cum deſtinaſſet
ſuperinducere vxori Seueræ, aliam vxorem Iuſtinam Iuſtini
filiam legem publice promulgaſſe, vt cuicunque libitum eſſet
duas legitimas vxores habere, liceret: tamen illa lex ſeruata
non fuit.

¶ Non † ſecus quàm nec ea, qua Cabades rex Perſarum, filius 30
Peroſæ, tempore Anaſtaſii Cæſaris ſtatuerat, vt communes vxo-
res eſſent, quinimo & ob illã Perſæ illi imperium abrogarunt &
in vincula coniecerunt, & Blaſium alterũ Peroſæ filium elege-
runt in

31 runt in regem, *Niceph. Caliſt. lib. 16. hiſtor. c. 36.* ¶ Criſpus † Salu-
ſtius, coniugii neceſſitudinem apud Numidas & Mauros leuem
dicit eſſe, quia ſinguli pro opibus, quiſque quam plurimas vxo-
res, denas alii, alii plures habent. ſed reges eo amplius. Et ita ani-
mus multitudine diſtrahitur, nullam pro ſocia obtinente, pari-
ter omnes viles ſunt, *Saluſtius, in bello Iugurth.*

## De Coniunctione & Conſenſu, quæ in nuptiis requiruntur, Cap. 3.

1 *In nuptiis coniunctio corporum & animorum eſt.*
2 *Amoris coniugalis exempla. Tanaſius rex Gotthorum.*
3 *Matrimonium duas habet præcipuas partes ſubſtantiales, conſenſum, qui præponderat concubitui.*
4 *Matrimonium cum continentia etiam verum, in beatiſsima virgine Maria & Ioſepho.*
5 *Ammon cum vxore continenter, & ſine mixtione vixit.*
6 *Proles & coniunctio, conſummatio & probatio matrimonii initi.*
7 *Conſenſus nuptiis ineundis tantum ſponſi & ſponſæ neceſſarius, vt matrimonium perficiatur.*
8 *Quare indiſſolubile & perfectum matrimoniũ inter Chriſtianos ſine conſenſu parentum, & non inter Ethnicos.*
9 *Nuptiæ quare exigant conſenſum parentum, in quorum ſunt poteſtate coniungendi.*
*Officium paternum dotare filias, & quærere filiis conditionem.*
10 *Conſenſus parentum in nuptiis filiorum filiarumue familias, iure ciuili Romanorum neceſſario exigitur.*
11 *Pœna edicti regii & raptus in eos, qui pelliciunt & perſuadẽt matrimonium filiabus ſine voluntate patris.*
*Lege duodecim tabularum, non traducenda ſuaſione ingenua virgo.*
12 *Conſenſus parentum etiam in nuptiis repetendis exigitur.*
13 *Proximiorum non exigitur in nuptiis neceſſario conſenſus.*
14 *Matris conſenſus quando in nuptiis filiarum exigitur, in minore orbata parte.*
15 *Filiafamil. poſt 25. annum, impune ſine conſenſu patris nubit, & Burdigalæ poſt 20.*
16 *Furioſi & abſentis patris non obeſt omiſſus conſenſus.*
17 *Filii emancipati ſine conſenſu patris impune ducunt vxores.*
18 *Vxorem meretricem ducere inter opera caritatis eſt.*
19 *Nuptiis videtur emãcipari filius a patre, ex lege Numæ Pompilii.*
20 *Apud alias gentes in filiorum filiarumve nuptiis parentum conſenſum natura dictante ſtatutum.*
21 *Apud Græcos conſenſum patris in nuptiis filiarum exigi.*
22 *Iure orientali ſeparatæ nuptiæ minoris 25. annis filiæ ſine conſenſu patris.*
23 *Filia, quæ ſine patris, vel fratrum vel proximorum conſenſu nubit, iure Langobardorum priuatur ſucceſſione.*
24 *Edictum Henrici II. de nubentibus ſine conſenſu parentum, & de pœnis.*
25 *Balduinus Ferreus abducens vxorem Iuditham filiã Caroli Calui regis, communione fidelium concilio Epiſcoporum priuatus eſt.*
26 *Raptoris inſtar eſt, qui coniungit ſibi volentem quamuis ſine conſenſu parentum, & pœna raptoris afficiendus.*
27 *Amare perſuadens tenetur interdicto de ſeruo corrupto.*
28 *Matrimonia conſenſu patris non fiunt inuita filia.*
29 *Superbarum filiarum matrimonia a parentibus procurata detrectantium pulcerrima caſtigatio.*
30 *Samnitum nuptiarum deligendarum inſtitutum publicum.*

1 DIcitur deinceps in finitione, † nuptias habere coniunctio-
nem, quæ eſt vnio corporis, & animorum ſeu voluntatum,
erunt quippe duo in carne vna, *Geneſ. 2. can. lex diuinæ. 27. q. 2.
D. Matt. cap. 19.* Et rurſum ad mulierem dictum: Et eris ſubdi-
ta & appetitus ſubditus viro, *Geneſ. c. 3.* Et iterum, Mulier non
habet poteſtatem corporis ſui, ſed vir: ſimiliter, vir poteſtatem
ſui corporis non habet, ſed vxor, 1. *ad Corinth. 7. ca. non debet. de*
2 *conſang. & affinit.* ¶ Neque † amore iſto & concordia hac mari-
tali præſtantior vel firmior eſſe poteſt, vel debet, vt olim ea Ta-
nauſius rex Gotthorum cum exercitu ſuo, ab Aſiæ amœniſſimis
ſubactis ditionibus reuocatus fuerit ad ſua, *Ioan. Gotthus, libr. 1.
de reb. geſtis Gotthor. c. 2.* Exſtant amoris coniugalis celeberrima
3 exempla apud Valerium Maximum, *libr. 4. c. 6.* ¶ Itaque † in
matrimonio contrahendo conſenſus præcipuas obtinet partes
& ſubſtantiales, ſecundas concubitus: dictumque ideo, nuptias
facere conſenſum, non concubitum, *l. nuptias, de reg. iur. lib. 50.
P. tit. 17. § nuptias itaque, de nupt. in auth. coll. 4. §. illud. quib. mod.
nat. effi. legi. l. fi. C. de repud. lib. 5. tit. 17.* & nuptias ſolo conſenſu
perfici, *c. cum locum, & c. fi. de ſponſ. apud Greg. c. ſufficiat. & can.
matri. 27. qu. 2.* & inter inuitos aut diſſentientes non contrahi,
*Celſus, l. ſi patre rogante 22. de rit. nupt. lib. 23. P. tit. 2. Martian. l.
inuitam 20. eod. tit. Diocl. & Maxim. l. neque ab initio 14. & leg.
nec filiũ 12. de nupt. lib. 5. C. tit. 4.* liberaq; eſſe debere matrimo-
nia, *d. l. neque ab initio. fin. de ſponſal. lib. 5. C. tit. 1. Alex. Imp. l. 2.
de inutil. ſtipul. lib. 8. C. tit. 19. Paul. l. Titia. 134. de verb. oblig. lib.
45. P. tit. 1. c. gemma. & c. requiſiuit. de ſponſ.* Sic enim maiores
noſtri rati ſunt, verum & honeſtum amorem coniugum animis
ſolis conſtare, teſte Vlpiano, *l. 3. de donat. int. virum & vxor. libr.
24. P. tit. 1.* nec coitum, ſed affectionem maritalem matrimo-
nium facere, *Vlpia. l. cum hic ſtatus, §. ſi diuortium, de donat. inter
vir. & vxor. l. iubemus, de repud. C.* Quo fit, vt conſenſus & præ-
ſentis temporis in electione coniugii, illud firmum & indiſſo-
lubile faciat, etſi alter illorum poſt illud alteri ſe coniunxerit
corpore, *c. fin. de ſponſ. & ex conc. Ancyritano, c. 11. Syricius Papa,
in exemplis, c. 4. & ad Hymærium epiſcopum Taraconenſem, epiſt. 1.
c. 4. de coniugal. c. deſponſatus 27. q. 2.* Et vere tranſacta matrimo-
nia dicuntur etiam illa, quibus nulla corporalis copula acceſſit,
*Iſidorus lib. 9. c. 7. Auguſt. de bon. coniu. c. 11. lib. de nupt. & concu-
piſcen. can. coniuges & can. coniux. 27. q. 2. can. non enim, 32. qu. 1.
Auguſt. contra Iulian. lib. 1.* ¶ Veluti illud, quod inter beatiſſi- 4
mam Dei genitricem Mariam, quæ virum nunquam cognouit,
*Luc. 1.* & beatum Ioſephum eius ſponſum interuenit. De cuius
deſponſatione loquens diuus Auguſtinus *lib. 2. de conſen. Euang.
c. 1. Hoc exemplo,* inquit, *magnifice fidelibus inſinuatur coniugibus,
ſeruata etiam pari conſenſu continentia, poſſe permanere, vocarique
coniugium non permixto corporis nexu, ſed cuſtodito mentis affectu.*
¶ Refert † eius matrimonii continentiam in Ammone, & vxo- 5
re eius Nicephorus Caliſtus, *lib. 8. Hiſtor. eccleſ. c. 41.* ¶ Proles
namque † bonum quidem eſt matrimonii, & coniunctio cor- 6
porum licite accedit poſt initum matrimonium: ceterum ea
non ſunt matrimonium, ſed appendices & conſummatio ma-
trimonii, *can. in nomine 27. quæ. 2. c. debitum de bigamis.* Arguit
tamen coniunctio corporum, matrimonii vinculum præceſſiſ-
ſe, conſuetudoque, quam quis cũ libera muliere, quæ quæſtum
non facit corporis, habet, probationem facit certiſſimam ma-
trimonii, *l. in libero, de rit. nupt. in P. Gordian. l. ſi vicinis 9. de nu-
ptiis. C.*

¶ Ceterum † hic obſeruandum eſt, conſenſum, qui in nuptiis 7
neceſſario exigitur ad eas perficiendas ſponſi & ſponſæ tantum
eſſe, *can. ſufficiat 27. q. 2. glo. in c. fin. 22. q. 2. glo. in ca. 1. de deſponſ.
imp. & ibi Pan. gl. in l. Paulus, de ſtatu homin.* quod pertinet ad ſa-
cramenti & matrimonii veritatem: vſque adeo, vt parentibus
diſſentientibus factum matrimonium verum ſit, & indiſſolubi-
le, expreſſe adhuc concilio Tridentino deciſum, *Seßio. 8. artic. 1.
de reformat. matrim.* faciunt capita tituli, De matrimonio con-
tracto contra interdictum eccleſiæ, libr. 4. Decretalium, tit. 16.
& ſi qui contraxerint pœnis iuris ciuilis cuiuſque regionis ſub-
iiciantur. & quamuis prohibeantur huiuſmodi matrimonia te-
mere inita, & citra ritus, quos & ſancta Dei & Catholica eccle-
ſia, & iura ciuilia & mores boni, & honeſtas ſtatuunt. Honeſtum
quippe, quamuis non neceſſarium iure diuino & pontificio, pa-
rentes conſulere *glo. in d. can. ſufficiat. in verb. ſolus. & ita intellige.*
¶ Nec mireris, † quod inter Chriſtianos hoc receptum ſit, etiam 8
contra conſenſum patris matrimonium, hoc verum eſſe, ſi ritus
illi voluntatis expreſſi ſint, maxime ſacris aduenientibus preci-
bus: diuerſum autẽ apud Ethnicos eſſe. Nam iure diuino, quod
Deus coniunxit homo non poteſt ſeparare, *Matth. cap. 5. & 19.
1. Corinth. 7. Lucæ c. 6.* Neque in his quæ ad ſacramenta pertinẽt,
patria conſideratur poteſtas, *c. fin. de iudic. in 6.* Et relinquet ho-
mo patrem ſuum & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, *Geneſ. 2.
Matth. 19. ad Epheſ. 5.* At iure gentili & ciuili, & ſolui poterat
matrimonium, vnde & factum aduerſus leges irritum pari li-
centia reddebatur, vt infra docebimus. Et Iulius Paulus, *lib. 2. re-
cept. ſenten. tit. 20.* ſic reſpondit: *Eorum qui in poteſtate patris ſunt,
ſine voluntate eius, matrimonia iure non contrahuntur, ſed contracta
non ſoluuntur: contemplatione enim publicæ vtilitatis priuatorũ com-
modis præfertur,* hæc Paulus. ¶ Inficias tamen non eo, † omni iu- 9
re honeſtum viſum fuiſſe & pene neceſſariũ, præcedere paren-
tum ſententiam & conſenſum nuptias eorum, quia minores in
horum ſunt tutela & ſacris, & eo magis quod infirmum ſit hu-
iuſmodi conſiliũ, inſidiis multis, & captionibus expoſitum, *Vlp.*

*l. 1. de min. 25. an. lib. 4. P. tit. 4.* officiumque patris ſit collocare in
matrimoniū filias & dotare, & quærere conditionem filiisfami-
lias, *Martial. l. qui liberos 19. de rit nup. lib. 23. P. tit. l. fin. §. vtramq;*
*de dot. promi. lib. 5. C. tit. 11.* indiſſolubile maiori cōſilio eſt ligan-
dum, cautiuſque vbi maius periculum, agendum, *ca. vbi pericu-*
*lum, de elect.* maxime in filiabus. quarum ſexus & infirmitas pa-
ternæ prouidentiæ vel iuris ſubſidium deſiderat, *Vlpia. l. 1. & 2.*
*ad SC. Velleian. lib. 16. P. tit. 1. §. 1. quib alien. lic. vel non. libr. 2. In-*
*ſtit. tit. 8.* vtpote quæ plerunque maritorum titillatione contra
propria commoda conſentiunt *Honor. & Theod. CC. l. ſi pater pa-*
*ctum 4. de ſponſal. lib. 5. C. tit. 1* neque pudoris virginalis eſt, elige-
10 re maritum, *can. honorantur 30. q. 2.* ¶ Itaque † iure ciuili Roma-
norum, pro ſubſtantia nuptiarum inductum eſt patris quoque
conſenſum, cuius in poteſtate eſt, filius filiave, adhibendum, &
præmittendum eſſe: alioquin nuptiæ illegitimæ cenſeantur, &
filii illegitimi, *l. Paulus, de ſtat. hom. lib. 1. P. l. 2. l. generali mandato,*
*& l. ſeq. de rit. nupt. lib. 23. P. l. 2. & l. ſi vt proponis, C. de nup. §. 1. de*
*nupt. lib. 1. Inſtit, Iuſtin. in l. vn. §. nec ſit facultas, de rap. virg. lib. 9. C.*
*tit. 13.* Docet & Catullus in carmine nuptiali filiam exſpectare &
ſequi debere hanc voluntatem, dum ait:

*At tu ne pugna cum tali coniuge virgo:*
*Non æquum eſt pugnare pater cui tradidit ipſe,*
*Ipſe pater cum matre, quibus parere neceſſe eſt.*
*Virginitas non tota tua eſt, ex parte parentum eſt:*
*Tertia pars matri data, pars data tertia patris,*
*Tertia ſola tua eſt, noli pugnare duobus,*
*Qui genero ſua iura ſimul cum dote dederunt.*

11 ¶ Scribit † Arnoldus Ferronus *in conſuet. Burdegal. ad tit. 4. de*
*dote, & § 3.* præter edicti hac de re generalis ſanctionem, Senatus
Burdegalenſis conſulto vſq; adeo matrimonia abſque voluntate
parentum contracta prohibita coercitave, vt capitalis pœna in
ea contrahentes locum habeat, & presbyteros, eorū miniſtros,
etiam profanos iudices damnare poſſe, & eos quoq;, qui filium
alterius ad nuptias impuliſſent ſine patris conſenſu. Tractat &
de pœnis in hos qui hæc tentarint Alexander *conſi. 93. 1. vol.* Sed
& rapuiſſe ſine traductione, *l. Marcellus, de verb. ſign. l. vn. de rap.*
*virgin.* & pœnas raptus hic habere locum nemo ambigit, pro ſe-
ductis ita virginibus & filiisfamilias Lex ita 12. tab. prohibebat,
ingenuam virginē ſuaſione traduci. Et Solonis lege Plutarchus
meminit qui verbis pellexiſſet adoleſcentulas: grauius punitos.
Inuehitur in Critonem Chremes Terentianus, qui adoleſcen-
tulos imperitos rerum, in fraudem illiciat ſolicitando, & pollici-
tando eorum animos lactet, ac meretricios amores nuptiis con-
glutinet. Sic Plautus in Perſ. *act. 3. ſcen. 1.*

*Virgo atque mulier nulla erit, quin ſit mala,*
*Quæ præter ſapiet quam placet parentibus.*

Tantum enim confidit lex ciuilis de parentum erga liberos ſo-
licitudine, vt nullum affectum paterno præponi voluerit, *leg. fin.*
*de curat furio. C.* & ratam omnino haberi voluntatem eius circa
delectum perſonarum, quibus liberos morientes etiā poſt mor-
tem committant defendendos, vt ſufficiat ſolum paternum te-
ſtimonium, ex ſanctione Iuſtinianea, *l. 1. de creationibus 20. de epi-*
*ſcop. aud. lib. 1. C. tit. 7. l. humanitatis intuitu, de impub. C.* ¶ Quæ
12 omnia † in nuptiis renouandis ſeu repetendis locum habent, ſi
vidua minor adhuc filiafamilias, & iuuenis fuerit, vt ait Iulianus,
*l. nuptiæ 18 de rit. nupt. lib. 25. P. tit. 2 l. ſi vt proponis poſt querelam*
*7. C. de nupt.* Quod & Cæſares Valentinia. Valens & Gratianus,
*l. viduæ 16 de nupt. lib. 5. C. tit. 4. l. in coniunctione filiarum 20. C. eod.*
prorogant ad emancipatam viduam, iuuenem tamen & mino-
rem 25. annis, ea lege, vt ſi in electione mariti, illius voluntas re-
pugnet paternæ, & proximorum, tunc arbiter iudex adeatur, di-
13 cturus pro negotii qualitate ſententiam. ¶ Neceſſario † namq;
aliter proximorum, ſicut nec curatoris vel affinium vlla aucto-
ritas exigitur & exſpectanda eſt ſola voluntas eius, de cuius con-
iunctione tractatur, *Gordianus, l. in copulandis 8. de nup. C. Paul. l.*
14 *ſciendum 20. de rit nup. in P.* ¶ Si tamen † minor orbata patre ſub
tutela agat, & inter matrem & tutores & proximos de eligendo
marito controuertatur, tunc quoque adeundus erit iudex, *Ver.*
*& Anton. l. 1. C. de nupt.* viuente autem patre eius voluntati eſt
deferendum, ſi tamen ſui officii paterni non ſit immemor. Alio-
15 quin † ſi nubilem negligat filiam, & vigeſimum quintum illa
exſpectans annum tranſegerit, arbitrium filiæ in eligendo ſibi
marito non reiicitur, nec punitur: atque pater qui bonis ſuis nu-
bentem intra eam ætatē poterat abdicare, & exheredare libere,
poſt eam non poteſt. *§. cauſſas, vt cum de appell cognoſc. in authent.*

Burdegalæ autem nec poſt vigeſimum, *in conſuetud. Burdegal. tit.*
*4. de dote, §. 2.* ¶ Quo † fit etiam, vt negligatur conſenſus, etiam 16
patris furioſi impune a filiafamilias, *Vlp. l. ſi nepos 9. de rit. nupt. in*
*P. Iuſtin l. ſi furioſi 25. de nupt. C. §. vnde quæſitum, eod. tit. apud Iu-*
*ſtin.* eo quod per illum conſuli illi commode non poſſit, eadem-
que ratione abſentium parētum vel captorum ab hoſtibus poſt
triennium a filiisfam. vel filiabusfam. conſenſus non eſt neceſ-
ſario requirendus, ſi modo tales ſint nuptiæ, quas certum ſit pa-
trem non repudiaturum, vt notant Paulus & Iulianus Iuriſcon-
ſul. *l. ſi ita 10. & l. ſi filius eius 11. de rit. nupt. P.* ¶ Ita † & filius e- 17
mancipatus ſine conſenſu patris vxorem ducere poteſt ſecun-
dum Modeſtinum, *l. filius emancipatus 25 de rit. nupt. in P.* nec
ob id iuſte a patre exheredatur: niſi inquit Vlpianus *leg. 3. §. ſi e-*
*mancipatus, in 1. de bon. poſſ. con. tab. lib. 37. P. tit. 4.* tam ignomi-
nioſam vxorē duxerit filius, quæ dedecori ſit tam ipſi, quam pa-
tri talem mulierem, habere, quo caſu pater iure ſuo vti poterit.
Quanquā hodie nec hanc eſſe contenderem iuſtam exhereda-
tionis cauſſam, eo quod inter cauſſas a Iuſtiniano non compre-
hendatur, *in § cauſſas, vt cum de appell. cogn. in authen.* ¶ Et † rece- 18
ptum ſit hodie inter opera caritatis eſſe etiam, meretricem per
nuptias a fornicationis conſuetudine reuocaſſe: quod enim agi-
tur ita in remiſſionem dicitur pertinere peccatorum, *Clem. 3. in*
*c. inter opera, c. 20. de ſponſal. lib. 4. Decret. Gregor. titul. 1.* *Nec eſt*
*culpandus*, inquit D. Hieronymus *in Oſeam 1. & can. non eſt cul-*
*pandus 32. q. 1. Oſeas propheta, ſi meretricem quam duxit ad pudi-*
*citiam conuertit ſed potius laudandus quod ex mala bonam fecit.* Et
ſcenicæ mulieres, ſi pœniteat ſceleris recte, gratia præcedentis
vitæ facta a principe vt aliæ nubunt, *Iuſtinia. in leg. imperialis 23.*
*de nupt. C.* Quamobrem nos prohibitionem iuris ciuilis de non
nubendo ſine conſenſu patris, intra cancellos & fines patriæ po-
teſtatis coercebimus, qua pendente cura & ſolicitudo libero-
rum maxime officio paterno relinquitur, eaque ſoluta a patre
quodammodo abdicatur, moneturque filius miſſus e manu, vt
in poſterum non fiſus paterno labori ſibi proſpiciat & conſulat,
ſuæ enim poteſtatis tunc fit. ¶ Docet † & lex Numæ Pompilii, 19
nuptiis emancipationem quandam filiorum fieri, dum ſtatuit.
*Dionyſ. Halic. lib. 2. antiquit. Rom. ſi pater filio conceſſerit vxorem*
*ducere futuram ſacrorum ac bonorum iuxta leges participem, patri*
*poſt hac nullum ius vendendi filium eſto.* ¶ Hanc † etiam poteſta- 20
tem obſeruant alia iura, quæ de conſenſu paterno nuptiis filia-
rum filiorumue tractant, & eaſdem fere admittunt diſtinctio-
nes. Aliæ namque gentes etſi poteſtatem in filios non dicantur
habere parē Romanis in liberos *§. 1. de pat. pot.* nihilominus na-
tura admonet ipſa, adhiberi in horum coniugiis debere patris
voluntatem Ita ratio dicitur ciuilis quoque & naturalis hoc ſua-
dere, *§. 1. de nupt.* quia iuris naturæ quoque eſt matrimonium *l.*
*1. §. fin de iuſti. & iur.* diuinaque eius inſtitutio. Diuini quoque &
naturalis iuris honor, qui parentibus exhiberi debet, *Exod. c. 20.*
*cum ſimilib. l. 2. de iuſt. & iur.* ¶ Sic † & apud Græcos obſeruatum 21
eſſe docet Homer. 2. *Odyſſ.* dum Ant. Telemachū ita alloquitur.

Μητέρα σὴν ἀπόπεμψον, ἄνωχθι δὲ μιν γαμέεσθαι,
Τῷ ὅτεῴ τε πατὴρ κέλεταί καὶ ἁνδάνει αὐτῇ. Id eſt:
*Matrem tuam dimitte, iube autem eam nubere,*
*Illi cuicunque pater iuſſerit, & ipſi placuerit.*

Apuleus *lib. 6. aſini aurei*, cum tradit rationes, quib. nō videantur
illi nuptiæ legitimæ inter cupidinem & Pſychem, eam quoq; ad-
fert, quod clam parentib. nulloq; adhibito teſte factæ fuiſſent.
¶ Inter † ſanctiones pōtificias iuris Orientalis *l. iur. Oriental. cir-* 22
*ca fin.* exſtat vna patriarchalis Conſtantinopolitani Patriarchæ,
de Hypotheſi propoſita nuptiarū initarum cū Mitza filio Bom-
bylæ conquerētis, ab Anthimio filio cuiuſdā Leonis nullo præ-
cedente vel ſecuto conſenſu Bombylæ patris: ſtatuiturque eas
nuptias nullas eſſe, vtpote factas ſine conſenſu paterno cum fi-
lia minore 25. annorum, ſeparandaſque veluti non differentes
ab ſcortatione. ¶ Langobardorum † ſeu Inſubrum iure, *l. fin. de* 23
*ſponſal. lib 2. Langobard.* filia quæ ſine patris cōſenſu, vel fratrum,
vel proximiorum, cum alii, quam ei cui deſponſata vel promiſ-
ſa eſſet nupſiſſet, priuatur ſucceſſione paterna, q̄ proximiorib. ea
expuncta defertur. ¶ Gallico † noſtro iure lata eſt Henrici 2 cō- 24
ſtitutio anni 1556. quæ ꝓhibet matrimonia, vt clandeſtina, filia-
rū filiorumve familias, inſciis & inconſultis inuitiſq; parentibus
fieri: alioquin ea attendentib. licere parentibus eos eaſve exhe-
redes facere, donatiōes illis factas reuocare. Hoſq; declarat ipſo
iure incapaces omnium lucrorum prouenientium ex conuen-
tionibus matrimonialibus patrum & matrum, vel delato-

rum ex

rum ex conſuetudine locorum: caſtigationem pœnalem tum contrahentium, tum proxenetarum arbitrio iudicis committens: exceptis tantum filiis maioribus triginta annorum, & filiabus 25. quos nubentes inuitis parentibus eximit a lege, dummodo conſulerint prius ipſos parentes, quamuis non obtinuerint
25 exquiſitum conſenſum. ¶ Antea † Balduinus Ferreus præfectus Flandriæ cum ex ſylua nocte inconſulto patre Iuditham filiam Caroli Calui regis Gallorum abduxiſſet, & pro vxore habuiſſet, conuocato per regem pontificum concilio damnatus, & ex piorum loco motus anno domini 862. Is autem eius rei gratia Romam petiit abſolutionis & expiationis conſequendæ gratia, vtque de raptu ſe purgaret: tandemque regi conciliatus nuptias celebrauit teſte Meyero *lib. 2. Hiſtor. Flandriæ.* ¶ Et † ra-
26 ptoris inſtar eſt, qui virgines etiam volentes ſibi ſine parentum conſenſu coniungit, pœnaque raptoris vltimi ſupplicii plectitur a Iuſtiniano C. *l. vnic. §. etſi quidem. de rap. virgin. libr. 9. C. tit. 13. §. 1. de rapt. mulierib. collat. 9. tit. 13.* ſi quidem quamuis volenti non fiat iniuria filiæ *l. cum donationis, C. de tranſact. l. ſi venditor, de reſcind. vend. C. l. 1. de actio. emt. C.* nihilominus patri fit ex attentata filiæ pudicitia, ſuoque nomine agit, etſi filia agere non poſſit, *Vlpian. in l. 1. §. vſque adeo, de iniur. lib. 47. P. tit. 1. Caius l. ſi quis ſeruum meum 16. l. Neratius, l. pater cuius 41. eod. tit.* ¶ Te-
27 neturque † interdicto de ſeruo corrupto, vt deteriorem filium filiamve faciens, qui perſuaſit vt amator amatrixve eſſet, vt ait Vlpian. *l. 1. de ſeru. corrupt. lib.* 11. *P. tit.* 3. & Paulus *l. vt tantum 24. eod. tit.* dicebat intereſſe parentum, animos liberorum non corrumpi. Quanquam mitius agatur cum iis raptoribus, qui inuitis parentibus, conſentientibus tamen filiabus eas rapuerunt, quo caſu raptus excuſatur, quod pertinet ad efficaciam matrimonii *c. pen. de rapto. lib. 5. Decretal. tit.* 18. *can.* 1. *& ca. lex illa 37. q.* 2. quod ſua natura conſenſu vtriuſq; coniugis celebratum firmum eſt. Præponunt tamen iura ciuilia voluntatem patris, fi-
28 liæ. ¶ Quam † tamen cogi a patre nolunt, vt libera ſint matri-
29 monia, prout monui. ¶ Niſi † forſan vtantur illa honeſta coactione, de qua meminit Iulius Pollux *lib. 1. Onomaſt. cap. 11.* per quam ingenium patris deiicere poteſt ſuperbiam filiorũ, ſi monilia & cauſſam ſuperbiendi filiabus adimant, veluti, inquit, qui aſinos admittunt, faciunt: ſi enim equæ aſinorum congreſſum aſpernantur eoſque laceſſunt, equarum iubas radunt, & ad fontes deducunt: hæ vero tanquam in ſpeculo cernentes deformitatem corporis & iubæ ſplendorem amiſſum, deterioris poſtea
30 animalis congreſſum admittunt. ¶ Sed † & Samnitibus alia lex honeſta quidem erat, & quæ ad honeſtatem excitaret teſte Strabone, *libr. 5. Geograph.* vt nec parentibus filias ſuas quibus collibuiſſet dare nuptui fas eſſet: verum quotannis decem præſtantes decerni virgines ac optimos totidem adoleſcentes: ex iis, primam primo: ſecundam, ſecundo: & ita deinceps hoc pacto. quod ſi is qui primam accepit honeſtam, iuſtam inſtitutionem mutauiſſet in deterius, habitus contemtui pro ignominia erat, & ei locata adimebatur.

## De Indiuidua matrimonii & diuini & humani iuris ſocietate. Cap. 4.

1 *Societas in matrimonio, diuinæ & humanæ domus.*
2 *Theogenæ Agathoclis vxoris honeſtum reſponſum de ſocietate maritali.*
3 *Indiuiduam eſſe ſocietatem matrimonii, nec vxorem eſſe temporalem, nec filium.*
4 *Vxorem ſuam Cato Vticenſis conceſſit Hortenſio liberorum cauſſa.*
5 *Vxores precariæ, & temporariæ mercede conductæ Sarracenis, Romanis, Spartiatis, Ægyptiis.*
6 *Societas coniugalis facit communionem rerum vtriuſque familiæ, habitationis, domicilii, vnde dicitur ducta vxor.*
7 *Matrimonia farre coniuncta indiſſolubilia lege Romuli, & ſuccedebat eo modo coniuncta viro.*
8 *Excommunicati ſeorſum ab vxore manentes, nolentes redire: viri conſulares ſolent ſeorſum ab vxoribus habitare.*
9 *Vxorem inuito marito pater non poteſt retinere.*
10 *Vxores radiis maritorum ſplendent, & infelicitatis eorundẽ ſunt participes.*
11 *Vidua artificis iurati, artem per ſeruum expertũ non magiſtrum, poteſt exercere.*
12 *Viduæ viuum retinent mortuum maritum.*
13 *Anima defuncti, viduæ ſuæ ægre fert ſecundas nuptias.*
14 *Vxores vna cum virorum mortuorum corporibus ex lege concrematæ apud Vuendos & Catheos.*
15 *Coniugibus vna debet eſſe communis religio.*

Adiicitur finitioni † nuptiarum quoque indiuidua vitæ con- 1
ſuetudo, & iuris diuini & humani communicatio: quæ nobis exhibent perfectam & indiſſolubilem ſocietatem matrimonii, vt non immerito ſummus Pontifex, *c. 2. de ſponſalibus* argumentetur a ſocietate ad matrimonium: vocat & Gordianus Cæſar *l. aduerſus 4. de crimin. expil. hered. libr. 9. C. tit. 32.* vxorem ſociam rei humanæ, & diuinæ domus: ſic Horatius *1. car. Ode. 1.* ſociam vocat epitheto congruo vxorem.

*Manet ſub Ioue frigido venator*
*Sociæ coniugis immemor.*

ex lectione Lambini. Neque enim prohibita viro permiſſa ſocietas inter aliquos, quandiu vixerint, *Paul. l. 1. pro ſocio, libr. 17.*
*P. tit. 2.* ¶ Et † Theogena vxor Agathoclis regis Siciliæ, cum 2
in Ægyptum remitteretur morituro Agathocle, ægre ab eo diuulſo dicebat, nubendo ſe non proſperæ tantũ, ſed omnis fortunæ iniſſe ſocietatem, vt auctor Iuſtinus ex Trogo, *libr. 23. hiſtoriæ.*

¶ Indiuiduam † autem hanc eſſe, omni conſenſu nationum, 3
quæ ratione vſæ fuerint, fere ſemper receptum eſt, vt & ex ſententia Solonis *in Gnomis.* de vxore coniicere poſſumus.

Ζεὺς γὰρ μέγιστον, τοῦτ᾽ ἐποίησεν κακὸν,
Καὶ δέσμον ἀμφέθηκεν ἄρρηκτον πέδη
Ἐξ οὗ τε τοὺς μὲν Ἀΐδης ἐδέξατο,
Γυναικὸς εἵνεκ᾽ ἀμφιδηριομένους.

Id eſt:

*Iupiter maximum hoc ipſum fecit malum,*
*Scilicet quod cognoſcamus æqualem*
*Omnium mulierum ſortem,*
*Et vinculum conſtituit indiſſolubile.*

Et quo ſolutos Pluto aliquos accepit pro vxore pugnantes. Sed latius de ſolutione paulo poſt. modo annotaſſe ſufficiet, vxorem eſſe non poſſe temporalem, ſed perpetuã quandiu vixerit: Nam nec moribus noſtris conuenit filium habere temporalem, vt ait
Paulus Iuriſconſultus *l. quæſitum, de adopt. libr. 1. P.* ¶ Et ſi † mo- 4
re aliquo antiquo aliquando receptũ fuiſſe legamus aliud quidpiam diuerſum: ſi tamen verum ſit probatum fuiſſe, quod Strabo *lib. 11.* tradit, Catonem Vticenſem vxorem ſuam Martiam conceſſiſſe Hortenſio liberorum cauſſa. Plutarchus *in vita Cato. Vticenſ.* etiam contracta ſponſalia dixit Philippi patris volunta-
te. ¶ Similes † certe illis qui precario vxores habebant, vel ad 5
tempus conducebant mercede, qualem morem tribuit Sarracenis Ammianus Marcellinus *libr. 14. Hiſtor.* Scribit & Cæl. Rhodiginus. *lib. 13. ca. 17.* ſed alibi non legi, Romanos cum liberorum ſatis ex ſua vxore ſuſcepiſſe viderentur, vxorem alteri, qui liberis egeret, cedere ſolitos. Vt Plutarchus *in vita Lycur.* apud Spartiatas probis viris vxores infœcundas habentibus, alienas prolis cauſſa adiri licitum fuiſſe. Scribit quoque ex lege Lycurgi licuiſſe aliquando ſeniori viro, vxori iuueni probum & honeſtum adoleſcentẽ admiſcere, & vbi eam generoſo ſemine compleſſet, ſuum ipſorum quod natum eſſet efficere. Quod improbat merito D. Auguſtinus, ad Claudium libr. 5. cõtra Iulianum, *in cano. ſic non ſunt facienda adulteria, 32. quæſt. 4.* Meminit Suidas *in ver.* ἥφαιστος. Vulcanum Ægypti regem, modeſtiæ tuliſſe legem Ægyptiis, quorum vxores apud maritos perſeuerare ignorarent.

¶ Societas † hæc vitæ inducit cõmunionem inter coniuges 6
rerum & earum dominii, vt ait Paulus *l. 1. rerum amota. libr. 25. P. tit. 2.* Commiſcetur familia, & quæ vxoris ſunt, fiunt, ac ſi viri eſſent, propria: & contra, quæ mariti, ac ſi vxoris, cenſentur ab Vlpiano, *l. 1. §. ſi vir aut vxor ad SC. Syllania, lib. 29. P. tit. 5.* Et proinde altero coniugum alteri ſubripiente quidpiam, furari non dicitur, nec eius nomine, ſed rerum amotarum actione repetitur ſubtractum *d. l. 1. & 2. & tot. tit. rer. amotat. in P. l. aduerſus, de crimin. expil. hered. C. l. quamuis, C. de furt.* Dicitur incola eiuſdem ciuitatis vxor, cuius eſt maritus, apud Papinianum, *l. fin. §. item reſcripſerunt, in 2. ad municip. lib. 50. P. tit.* 1. vt contra legata vxori habitatio ratione ſocietatis ſit communis viro eius, *l. ceterum, de vſu. & habita. P.* ibique habere dicitur vxor domicilium, vbi maritus habet vel habuit, ſi deceſſerit, *l. ea quæ 32. ad munic. P. l. exigere, de iudic. in P. lib. 5. l. mulieres, de dignit. lib. 11. C. l. fin. de incol. lib. 10. C.* Ideo Clemens Alexandrinus *libr. 3. Pædagog. cap. 11. Honeſtum,* inquit, *eſt, viri vxoribus fidem habentes eis domus*

*cuſtodiam permittat, vt quæ eis ad hoc opitulatrices datæ ſunt.* Sequi-
tur vel ſequi debet ſemper virum ſuum vxor, in vita & in morte,
*can. vnaquæque* 13. *q.* 2. niſi vagari incipiat vir, *l. quod niſi* 20. *de o-
peribus libert. lib.* 38. *P. tit.* 1. vel exſularet, vt ait Æſchines *epiſt. ad
Senat.* iis vna caro, *Geneſ.* 2. *can. ſunt qui* 27. *q.* 2. *can. deinde* 26. *di-
ſtinct. Matth.* 19. vna domus, vnumque ſepulcrum, *ca. ebron.* 13.
*q.* 2. Proinde Pomponius *l. muliere* 5. *de rit. nupt. in P.* pro perfe-
ctione nuptiarum ex ritu Romanorum deſiderare videtur, vt
vxor in domum viri ducatur: *deductione namque*, inquit, *opus eſſe
in mariti non in vxoris domum, quaſi in domicilium matrimonii.* In-
deque tracta eſt appellatio, *ducere vxorem*, pro accipere vxorem,
etſi ſola deductio in domum, niſi ſponſalia præceſſerint, vel alia
argumenta, nuptias non probent per ſe, vt notat Vlpian *l. quæſi-
tum* 9. *de ſponſal. lib.* 23. *P. tit.* 1. Promiſſione autem accedente de
habenda ea vxoris loco maximam vim addit §. *quoniam*, *authen.*
7 *Nouell.* 74. *Iuſti.* ¶ Ex lege † Romuli apud Dionyſium Halicar-
naſſeum, *libro ſecundo. antiq. Roman.* per ſacra fratris vxor du-
cta coniugio, nodo rediſſolubili iungebatur, eratque mulier
viro obſequens & pudica, & domus domina æque ac maritus, &
in eius mariti bona ſuccedebat heres, ſicut parentis filia: ex aſſe
quidem, ſi is inteſtatus & ſine liberis decederet, ſi cum liberis
vna cum illis.

8 ¶ Statuit † aliquando Synodus quædam Conſtantinopoli ſub
Manuele eius patriarcha habita, vt notatur in reſponſis Dithyr-
rhachii, *lib.* 2. *Iur. Orienta.* 1. *q.* metropolytæ, eos qui ſeorſum ab
vxoribus remanent, & noluerint conuenire, excommunicatio-
ne notandos: quod intelligendum cum Vlpiano, *l. cum hic ſtatus*
13. *ſi diuortium, de donat. int. vir. & vxor. libr.* 24. *P. tit.* 3. ſi ſeor-
ſum habitantes non habeant inuicem honorem matrimonii: a-
lioquin ſi habeant, habitationum diuiſio nō dirimit matrimo-
nii affectionem & vnionem, *ſolent enim*, inquit idem Vlpianus,
*viri conſulares ita ſeorſum habitare.*

9 ¶ Hac ratione † pater detinens vxorem, cogitur conqueren-
ti apud prætorem marito, in domum maritalem deducere, *l. ſi
inuita, C. de nupt. l.* 2. *de libe. exhib. in P. l. fin. C. eod. tit.* nec poteſt
illam ſocietatem paterna prærogatiua turbare aut diſſoluere, *l.
filia diuortium, & l. diſſentientis* 5. *de repud. libr.* 5. *C. tit.* 17. *l. filia, C.
de inoffi. teſtam. l.* 1. §. *fin. de libe. exhib. in P. l. reprehendenda* 5. *de
inſtitut. & reſtitut. ſub condit. fact. libr.* 6. *C. tit.* 25. Scriptum quip-
pe, vt non ſemel dixi, *relinquet patrem homo, & adhærebit vxori,
Geneſ.* 2. *cum ſimilib.* Singularis certe vel melius præſtantiſſima
ſocietatum iſta, quæ auctori natiuitatis præponitur, vt non ſo-
lum ſocietas, ſed commixtio & confuſio duorum animorum, &
corporum in vno compoſito, vnum quid faciens videatur: & a-
nimus viri in corpore vxoris, & viciſſim mulieris in marito viue-
re & ſedem ſibi delegiſſe, vt non abs re D. Paulus ſcripſerit, nu-
ptam præcipuum habere ſtudium, quomodo placeat viro, & vi-
rum habentem vxorem, quomodo viciſſim eam redamet, *1. Co-
rinth.* 7. *ad Epheſ.* 5. *ad Coloſſ.* 1.

10 ¶ Quamobrem † & illæ illuſtrantur radiis maritorum, & eo-
rum dignitate refulgent, §. *hæc itaque de conſul. in Authent. l. Fœ-
minæ* 8. *de ſenato. lib.* 1. *P. tit.* 9. cum mariti dignitate cōcreſcunt,
*Iuſtin. l. ſi. de nupt. C.* & eorum ſentiunt fulgorem: æquum enim
eſt & naturale, *l. ſecundum naturam, de reg. iur. P.* communicari
honores, quibus communia ſunt etiam infortunia, ob quæ non
licet abire a iugo hoc matrimonii. *Quid enim tam humanum eſt*,
inquit Vlpianus, *l. ſi cum dotem* 23. §. *ſi maritus. ſolut. matrim. libr.*
24. *P. tit.* 3. *l. patre furioſo* 8. *de iis qui ſunt ſui vel alien. iur. lib.* 1. *P.
tit.* 6. *quam fortuitis caſibus mulieris maritum, vel vxorem viri par-
ticipem eſſe?*

11 ¶ Placuit idcirco, † nec iniuſtis rationibus, ſupremis orche-
ſtris, mortuo marito artifice, eius artificii quod niſi iuratis & pe-
ritis a republica permittitur cuilibet, viduam defuncti poſſe ar-
tificium mariti, ac ſi is viueret, per ſeruos expertos tamen in ea
arte, exercere palam, quamuis magiſterii gradu inſigniti nō ſint,
& iure communi non niſi ab inſignitis tractetur. Et ita Phili-
bertus Bugnonius *in legibus abrogat.* refert iudicatum fuiſſe a
Senatu Lutetiano 13. Calend. Decemb. anno 1427. & in co-
mitiis Molinenſibus 8. Octobr. 1540. Ego quoque ſæpe vidi
Toloſæ eo modo Senatui placuiſſe, dum ſubſelliis eram aſ-
ſiduus.

12 ¶ Videtur † quippe adhuc exſtincto corpore coniugis, cū vi-
dua nobilior cōiunctionis maritalis portio remanere: viua nem-
pe affectio, & animus qui immortalis eſt, cui iurata fuit viuente
13 & ſuperſtite corpore ſocietas. ¶ Sicut † & Iuſtinianus notat,
§. *quæ vero, de nupt. in auth.* animam defuncti coniugis ægre fer-
re ſuperſtitis ſecundas nuptias. ¶ Fueruntque † nationes aliquæ, 14
apud quas vxores mortuis maritis vna cum rogo maritali, vt per-
ſeueraret æqualis ſocietas, vrebantur: veluti mos erat apud
Wendos, qui erant genus Sclauinorū, in agris Saxonum & Thu-
ringorum habitantes, vt tradit Vunefridus Anglus, qui poſtea
Bonifacius appellatus eſt, epiſcopus Moguntiaci factus, in epi-
ſtola ad Edoardum Anglorum principem, teſte Beato Rhena-
no *in fin.* 1. *libr. rer. Germani.* Idem apud Catharos prope Adra-
ſtarum terras in India lege ſcitum & ſeruatum, ob fœminæ cu-
iuſdam beneficium in maritum paratum, teſte Diodoro Siculo,
*lib.* 17. *anno* 9. *Alexand.* † Strabo *libr.* 15. hos vocat Catheos ſub- 15
ſcribens reliquis. Et quia in hac ſocietate coniugali, eſt diuini &
humani iuris communicatio: quemadmodum bona, ſic & affe-
ctio æqualia eſſe debent, & religio, qua vita noſtra maxime con-
ſtat, vt ait Plinius *lib.* 14. *c.* 19. eadem vtrique eſſe debent coniu-
gum. Neque cum ſectæ alicuius hominibus vel mulieribus di-
ſparis religionis inire nuptias lex permittit: veluti inter Iudæum
& Chriſtianum, vel Chriſtianam, vel Chriſtianum & Iudæum,
alioquin capitali ſupplicio imminente, *Valentin. Theod. & Ar-
cad. CCC. l. ne quis* 5. *de Iudæis libr.* 1. *C. tit.* 12. Et Leo & Anthe-
mius CC. tradunt, *l. fin. de ſponſal.* 5. *C. tit.* 1. ſponſalia diſſolui
poſſe propter impudicam conuerſationem, aut religionis vel
ſectæ diuerſitatem. Explicant tamen illud intelligendum, ſi an-
te contracta ſponſalia ignoraſſent diuerſitatē: nam ſi ſciuerint
ante, impune ea non diſſoluunt *ſi legibus* 16. *de epiſcop. audien. lib.*
1. *C. tit.* 7. ſed ſibi imputare debent. Iubet Plutarchus *in præcept.
connubialibus*, vt vxor in religione ſimilis ſit marito, neve aliam
peregrinam admittat. *Nam*, inquit, *nulli Deo ſacra occulta & ab-
ſcondita grata ſunt.* Sed de hoc in ſolutionis cauſſis matrimonii,
latius paulo poſt.

## De ritibus nuptiarum. Cap. 5.

1 *Solemnia & ritus nuptiarum quare adiiciuntur, hique varii.*
2 *Conſenſus in nuptiis alio modo quam verbis exprimitur.*
3 *Verba qualia in nuptiis conſentiendis exiguntur.*
4 *Caia nomen in nuptiis pangendis cur.*
5 *Verba matrimonii contrahendi ſerio, non iocandi cauſſa, obligant.*
6 *Verba etiam ioco dicta ſemper interpretantur pro matrimonio fere.*
7 *Ritus nuptiarum quidam neceſſarii, quidam minime.*
8 *Preces matrimoniis adiectæ in omni Eccleſia Orientali & Occidentali: & palam & publice contrahi iubet Eccleſia, quare.*
9 *Clandeſtina matrimonia non erant tribus obſeruatis.*
10 *Banni quid in nuptiis.*
11 *Moſcoviæ matrimonia publice tantum fiunt in Eccleſiis.*
12 *Clandeſtina matrimonia, quod pertinet ad Eccleſiam, rata non ſunt, quamuis firma per ſe & apud Deum, & quare, vide numer. 15.*
13 *Clandeſtina matrimonia, ab Eccleſia approbari debent.*
14 *Aſſerens matrimonium probare debet.*
16 *Inſtrumenta matrimonialia, quomodo probant matrimonium.*
*Inſtrumenta, pompa, dos, & apparatus non faciunt matrimonium, ſed ne clam fiat exiguntur.*
17 *Matrimonia inita Romæ a ſacerdote Cereris.*
18 *Nuptiarum ſolemnia Hebræis per hebdomadam.*
19 *Ritus quidam nuptiis Romanorum adhibitus ex Plinio, de colo, fuſo, ſtamine, ſpina, nucibus, confarreatione, adipe, ſudo & lupino lana.*
20 *Taxillarum puellæ nupturæ publice ſe exponunt tuba & venienti poſteriora primum, poſtea anteriora denudant, & ſi placita, illic nubit.*
21 *Ritus & forma, qua apprehenſis dextris iunguntur coniuges, ex formula Iudæorum precationibus diuinis additis, inſtrumento, epulis, & concubitu.*
22 *Romanis interdum ritus nuptiarum ſimiles ſuperioribus manu apprehenſæ, epithalamiorum & ominationis bonæ.*
23 *Vxor legitima & materfamilias Romæ fiebat ea conueniente in in manum mariti, quomodo. Vxor materfamilias quæ dicebatur: & de triplici formula ducendi vxorem apud Romanos.*
24 *Vxor per coemtionem quomodo fiebat, & conueniebat in viri poteſtatem.*

25 *Manus*

25 *Manus & mancipium poteſtatem ſignificat.*
26 *Coemtio quid.*
27 *Fœmina olim nunquam erat ſui iuris, ſed in aliena ſemper poteſtate, aut patris, fratrum, propinquorum, aut mariti, nec ſine horum obligabatur auctoritate. & num. 30.*
28 *Veſtales tantum erant ſui iuris.*
29 *Mulier nupta etiam apud Græcos in poteſtate mariti.*
30 *Coemtione ſimulata, aliæ fiebant Romanis alienationes. Coemtio nuptiarum tribus aßibus fiebat.*
31 *In manu mariti fiebant & nuptiæ per confarreationem, & quomodo.*
32 *Nuptiæ per farreationem ſacræ & pontificum Ethnicorum & aliorum.*
33 *Nuptiæ ſacræ farracia quare.*
34 *Matresfamilias hodie quæ dicantur etiam.*
35 *Nuptiæ vſu contractæ, & vxor vſu quid.*
36 *Vxor conteſtata erat concubina.*
37 *Vxor vulgaris concubina. Concubina honeſta vxor.*
38 *Concubinam cum vxore habere non licebat.*
39 *Concubina honeſtatem matrisfamilias amittebat.*
40 *Ritus alii Romanorum in nuptiis.*
41 *Aqua & ignis in nuptiis cur adhibebantur.*
42 *Cymbrorum coniugia firmabantur vnguium reſecatione.*
43 *Theutones coniuges capillos mutuo detondebant.*
44 *Armenii articulas denotabant.*
45 *Elamitæ pungebant ad ſanguinem vſque digitum.*
46 *Ritus aliarum gentium in nuptiis firmandis, Numidorum, Dacum, Hungarorum, Scicionitarum, Tarentinorum, Scytharum, Cardienſium.*
47 *Cardienſes ignem accendebant nubiles ipſum, quo exſtincto fiebat diuortium, igni aquam iniicere, prouerbium quid.*

1 IN nuptiis † aliqua ſubſtantialia, & alia non ſubſtantialia per-
pendere oportet: iam autem formam ſubſtantialem monui-
mus in conſenſu contrahentium conſiſtere, *glo. pen. in c. tua nos,*
*de ſponſal.* Siquidem reliqui ritus & ſolemnia, vel ad ſubſidium
coniugum, vel ad probationes geſtorum. Idcirco & forma con-
trahendi varia, ritusque varii veluti expreſſo conſenſu, verbis &
2 ritibus. Quanquam † & ſine verbis alio modo expoſito conſen-
ſu fiant, quemadmodum dum mutus mutave nuptias contra-
hunt, *Paul. l. mutus, 76. de iur. dot. libr. 23. P. titul. 3. l. ex facto, 43. de*
*vulgo. lib. 28. P. titul. 6. cap. cum apud. ca. 23. de ſponſalib. lib. 4. De-*
*cret. tit. 1.* Verba † qualiacunque ſint dummodo conſenſus ille de
præſenti tempore exprimatur, etiam nihil intereſt, ea enim in-
terdum ſunt, *ſi pro vxore habiturum, & pro marito habituram,* vt
ait Alexander 3. ſum. pont. *cap. ex parte, cap. 9. de ſponſalib. libr. 4.*
*Decretal.* vel *accipio te in meum, & accipio te in meam, cap. penult. de*
3 *ſponſalib. cap. licet, de ſponſal. duor.* Apud Romanos † vſurpata, *ego*
*tibi Caius, tu mihi Caia*: a tempore Caiæ honeſtæ matronæ, &
4 optime lanificæ, ſecundum † T. Probum *libr. de pronominibus,*
*circa operis Valerii Maximi finem,* & Plutarchum *libr. problemat.*
5 Sunt † & iis ſimilia, prout moribus regionum recepta ſunt quæ
nodum iniiciunt copulæ, ſi modo ſerio, non iocandi animo pro-
nuntientur, *cap. tua nos, 26. de ſponſ. Caius, l. ſimulatæ, 36. de ritu nu-*
*ptiarum. eod. in P.* ſicuti nec iocandi cauſſa promiſſa obligant, *l.*
*obligationum ſubſtantia, de action. in P.* nec qui ſe iactauit here-
dem inſtituturum, ideo inſtituiſſe videtur, vel inſtituere tene-
tur, *l. final. de teſtament. in P.* Plus enim valet quod agitur, quam
quod ſimulate concipitur, *rubric. plus val. quod agit. C.* nec vltra
intentionem actus agentium operantur, *l. ſi ego, & l. non omnis, de*
*reb. cred. P. l. multum intereſt, Cod. ſi quis alter. vel ſibi, l. verũ eſt, &*
6 *l. ſi quid fur, de fur. P.* Verumtamen hic cauẽdum eſt, † ne halluci-
netur quiſpiam, non ſemper verba etiam ioco dicta, pro ioco ac-
cipi, ſed pro matrimonio interpretari fere ſemper, *gloſſ. 1. in cap.*
*tua nos, in verbo mulierem, de ſponſalib. l. ſimulatæ, de ritu nuptiar. in*
*P.* Itaque cauendum eſt, ne verbis capiatur quis temere effuti-
tis: verba quippe non ad ſimulandum, ſed ad exprimendam
mentem dicta cenſentur: & nemo exiſtimandus eſt aliquid di-
xiſſe, quod prius mente non agitauerit, vt ait Celſus, *l. Celſus, l.*
*Labeo 7. § idem Tubero. de ſupel. lega. libr. 33. P. titul. 10. l. non aliter,*
7 *de legat. 3.* ex Tuberonis ſententia. Ad † ritus autem quædam
pertinent fere neceſſario, alia non valde requiruntur, etſi præ-
8 termiſſa ſunt, non exprobrantur. Itaque † ſancta Catholicaque
eccleſia in nuptiis firmandis & celebrandis, ſacras adhibet pre-
ces & orationes cum in orientali *libr. 1. iur. Oriental. titul. de ſpon-*
*ſalib.* tum in occidentali orbis parte: vtque eas, ea, qua decet ho-
neſtate concipiat, publice exigit fieri matrimonia, non clam, vt
ſine dolo & omni legitima approbatione fiant, *Concil. Arelat. c.*
*6. can. noſtrates, c. nullus fidelis, 30. quæſt. 5. in decretis Hermiſdæ ſum.*
*pontif. c. 6.* Clam † namque facta, fraudis habent aliquod argu- 9
mentum, *l. final. de ritu nuptiar.* Porro clandeſtina non erunt ma-
trimonia, tribus obſeruatis: primum, ſi teſtes, dum fiunt, adhibe-
antur, *d. can. nullus, & c. noſtrates, 30. q. 5.* ſecundo ſi parentum ha-
beatur conſenſus, de quo diximus, adſintque qui paranymphi
dicuntur, *c. ſponſus, ex concilio 4. Carthagi. & c. aliter, 30. q. 5.* tertio,
ſi matrimonia celebranda prius in eccleſiis per curiones publi-
ce proponantur competenti termino præfinito, intra quem qui
voluerit, & potuerit, legitimum impedimentum opponat, & i-
pſi quoque presbyteri inueſtigent, vtrum aliquod impedimen-
tum obſiſtat, puta, ſi contracturi ſint in gradu prohibito, vel a-
lio modo impediantur, vt in concilio generali fuit decretum, *In-*
*noc. 3. ex concilio generali, in ca. cum inhibitio. c. 3. de cland. de ſpon-*
*ſal. lib. 4. Decretal. tit. 3.* Vocant vulgo hanc propoſitionem publi-
cam, Bannos, declinata voce a Græca πᾶν, omne, ὅτι πᾶσιν inno-
teſcat, vel † quod per hanc dictionem Bañ, prima, ſecunda, ter- 10
tia denuntiatio, quæ fit in ſuggeſtu eccleſiaſtico futurarum nu-
ptiarum, id eſt, integra & perfecta prædictio & vniuerſa ſignifi-
cetur: mutatur enim facile π in β. Exſtat † & canon cuiuſdam Io- 11
annis Metrapolitæ Moſcouiæ, qui apud Ruthenos habitus eſt
prophetæ loco, *matrimonium non niſi publice in eccleſiis contraha-*
*tur,* vt refert Sigiſmundus Liber Baro *in comment. rer. Moſcoui-*
*tar. in canonib. Ioannis.* Requirit † iſta ſummopere eccleſiaſtica 12
diſciplina, nec eccleſiæ rata dicuntur clandeſtina matrimonia,
quamuis contracta clam, ſine impedimento tamen rata ſint &
firma per ſe, & apud Deum, *c. 2. de clandeſt. deſponſat. & ibi gloſſ.*
*can. erubeſ. can. 32. diſt. & c. Chriſtiana, 32. q. 5.* Cuius diuerſitatis
ratio ea eſt, quod eccleſia non poteſt iudicare de his, quæ latent:
& ideo ſi de clam contractis nuptiis coram iudice eccleſiaſtico
agatur, cum dubium illi ſit, non interueniente eccleſiaſtica ſole-
mnitate, an fuerit factum matrimonium, † non poteſt compel- 13
lere ſeruare illud. Ideoque etiam eius comprobatione in cele-
bratis aliter opus eſt, vt explicat Alexand. 3. ſum. pontif. *cap. 2. de*
*clan. deſponſ.* Et quamdiu illi de coniunctione legitima fides non
fit, ita coniunctos, ex præſumtione certa ſcortationis, ab inui-
cem diſcedere iubebit, & vt ſtuprum de coniunctione iudicat, *c.*
*1. 35. q. 5.* Atque ab eo, † qui aſſerit contractum matrimonium, 14
probatio exigitur, *c. 1. de cland. deſponſ.* At Deus † qui occulta no- 15
uit, *Pſal. 43. ad Hebr. 4.* quive teſtibus non indiget, etſi quis con-
tractum neget matrimonium occulte, & quamuis, quia non
probatur, non cogatur adhærere coniugi: vere tamen nouit fa-
ctum & indiſſolubile: proinde legibus Dei qui occultum inficia-
tur, tenetur ac vincitur, vt nec alium poſſit inire coniugium illo
occulto perſeuerante: & ſi ineat aliud, reus ſit adulterii. Inſtru-
unt itaque pleraque, & ſanctiora & honorabilia reddunt nego-
tia, quæ de ſubſtantia non ſunt. Eoque † pertinent nuptialia in- 16
ſtrumenta, *l. nec ab initio, 14. de nupt. Cod. §. nuptias, de nupt. in au-*
*thentic.* quæ tamen per ſe non probant matrimonium, *l. donatio-*
*nes in concubinas, 32. de donation. libr. 39. P. titul. 51.* ſeu pacta ma-
trimonialia, pompa, ſeu nuptiarum apparatus, *l. ſi donationum, C.*
*de nuptiis,* & dotis conſtitutio, *l. final. de donation. ante nupt. Cod. 3.*
*de iure dotium, in P.* ſine quibus tamen ſubſtantia matrimonii
conſiſtit, *proxime citatis iuribus.* Docet id Concilium Arelatenſe
*canon. 6. & canon. nullum, 30 quæſt. 5. Nullum fiat matrimonium,* in-
quit, *ſine dote, nullus vxorem ducere vel nulla nubere præſumat, niſi*
*ſecundum facultates dos conſtituatur:* audi poſtea rationem, *non*
*quod ſine dote matrimonium eſſe non poſſit, ſed ne ſine publicis nuptiis*
*quiſquam nubere, vel vxorem ducere præſumat.* Erat † & ritus apud 17
Romanos Ethnicos, vt matrimonia iungerentur a ſacerdote
Cereris per orationem ſacram, teſte Plutarcho *in præcept. connu-*
*bialib.* Et apud † maiores Iudæorum lætitiç iſtius publice teſtan- 18
dæ cauſſa, etiam ſub lege naturæ, per integram hebdomadam
nuptiarum fiebant ſolemnia, *Geneſ. 29. Iudic. cap. 14.* Poſſem hic
ritus † varios ex Plinio, in nuptiis, adhibitos antiquitus, referre: 19
qui, etſi deſuetudine obliterati ſint, nihilominus tamen oſten-
dunt, non clam, non leui iudicio, &, vt ita loquar, non ſummarie,
& de plano factas fuiſſe. Indicabo ſolum de illis aliquot locos. Is
itaque inprimis ait, *Plini. lib. 8. cap. 48. Lanam cum colo, & fuſo Ta-*
*naquillis, quæ eadem & Caia Cæcilia vocata eſt, in templo Sangi du-*
*raſſe prodente ſe, auctor eſt Marcus Varro: factamque ab ea togam*
*regiam vndulatam in domo Fortunæ, qua Seruius Tullus fuerat vſus*

*inde factum, vt nubentes virgines comitaretur colus comta, & fuſus cum ſtamine.* Et alibi Plin. *li. 16. cap. 18. Spina nuptiarum facibus auſpicatiſſima, quoniam inde fecerunt paſtores qui rapuerunt Sabinas, vt auctor eſt Maſſurius.* Et iterum Plin. *lib. 15. c. 22. Honor nucibus inglandibus naturæ peculiaris gemino protectis operimento, puluinati primum calicis, mox lignei putaminis: quæ cauſſa eas nuptiis fecit religioſas, tot modis fœtu munito: quod eſt veriſimilius, quam quia cadendo, tripudium ſonumque faciant.* Et rurſum Plin. *lib. 18. cap. 3. In ſacris nihil religioſius confarreationis vinculo erat, nouæque nuptæ farreum præferebant.* Et alibi Plini. *lib. 28. cap. 9. Proxime in communibus adipis laus, ſed maxime ſuilli apud antiquos etiam religioſi: certe nouæ nuptæ intrantes, etiamnum ſolemne habent, poſtes eo attingere.* Et paulo poſt: *Maſſurius inquit, lupino adipi antiquos palmam dediſſe, ideo nouas nuptas poſtes illos vngere ſolitas, ne quid mali medicamenti inferretur.* Denique & alio loco Plini. *lib. 29. cap. 2. Lanis auctoritatem veteres Romani etiam religioſam habuere, poſtes a nu-*
20 *bentibus attingi iubentes.* De Taxillarum † qui populus in India, nubendi conſuetudine, noua quædam & inuſitata refert Ariſtobulus, & poſt eum Strabo *lib. 15. Geogra.* vt qui præ inopia filias ſuas elocare non poſſunt, eas in ipſo ætatis flore in forum producant cum tuba & claſſicis, quibus bella ſignificari ſolent. Tum multitudine conuocata, puella accedenti primum poſteriora humero tenus detegit, poſtea vero anteriora: quæ cum placita fuerit & approbata, quibuſcunque vt videtur nubit. Formula
21 iungendi † matrimonii, quam hodie videtur imitari, exſtat in Tobiæ hiſtoria *c. 7.* frequentata etiam, vt opinor, eius ſeculi hominibus, vt apprehenſa manus dextera futuræ ſponſæ daretur dexteræ futuri viri: Sic enim Raguel coniunxit filiam Tobiæ iuniori, precationem addens ſacram, *Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob, vobiſcum ſit, & ipſe coniungat vos, impleatque benedictionem ſuam in vobis.* Fiebatque charta poſtea ſcriptura coniugii, epulum, & Dei benedictio, & concubitus. Hodie etiam inter Iudæos, in libro precum illorum, Mahzor ſanctæ ſynagogæ Romanæ, habetur benedictio ſponſaliorum, in qua, qui benedictioni præpoſitus eſt, ſumit calicem, & recitat orationem: *Qui creas fructus vitis, &c.* Et aliam ſponſalibus accommodam: poſtea bibit vinum & ſubinde propinat ſponſo & ſponſæ, implen-
22 tur & poſtea ſeptem dies conuiuii. Refert † quid ſimile fere Iulius Capitolinus *in Gallienis duobus* factitatum, ſed non verba ſacra, ſed venerea recitata in nuptiis Gallieni: *Nuptiarum epithalamium,* inquit, *cum dixiſſent centum poetæ de fratribus Gallieni coniunctis, ipſe Gallienus Cæſar, cum manus ſponſorum teneret, ita dixit:*

*Ite, ait, o pueri pariter ſudate medullis*
*Omnibus inter vos: non murmura veſtra columbæ,*
*Brachia non hederæ, non vincant oſcula conchæ.*

23 Huc † pertinet vxoris legitimæ ſpecies, apud Romanos, quæ ita per manum mariti tantum fiebat materfamilias, & tranſibat in familiam mariti, prolatis, certo ritu adhibito, verbis conceptis. Tres enim apud Romanos vxoris ducendæ formulæ, per coemtionem, per confarreationem, & per vſum. Per coemtionem fiebat materfamilias, & veniebat in manum mariti vxor, vt ex Cicerone *in topic.* docemur, dum ait, *Si ita Fabiæ pecunia legata eſt a viro, ſi ei viro materfamilias eſſet, ſi ea in manum non conuenerit, nihil debetur: genus enim eſt vxor, eius duæ formæ: vna matrumfamilias, hæ ſunt, quæ in manum conuenerunt, altera earum, quæ tantum-*
24 *modo vxores habentur.* Coemtione † *fiebant iſtæ nuptiæ:* vt ait Boetius *in 2. topicor.* ex Vlpiani inſtitutionibus, *dum ſeſe coemendo inuicem interrogabant: vir ita, An ſibi mulier materfamilias eſſe vellet? Illa reſpondebat, velle. Mulier, An ſibi vir paterfamilias eſſe vellet? Ille velle reſpondebat. Itaque mulier viri conueniebat in manum, & erat materfamilias viro, loco filiæ: & ita mulier illa poſtea erat in manu mancipioque, id eſt, poteſtate mariti.* Sic Seruius Sulpitius apud Gellium *lib. 4. noct. c. 3.* pellicem appellatam ait libro de dotibus, probroſamque habitam, quæ iuncta conſuetaque eſſet cum eo, in cuius manu mancipioque, alia matrimonii cauſſa foret, etenim tranſibat in poteſtatem mariti, vel particeps cum matre fi-
25 ebat poteſtatis conuentione. Manus † namq; arbitrium & poteſtatem ſignificat, *vt apud Pompo. l. 2. de orig. iur. in prin. libr. 1. P. tit. 2.* ſicuti inde & manumiſſio, *Vlpia. l. 4. de inſt. & iur. eod. lib. §. 1. de liberti. lib. 1. Inſtitu. iur. ciu. tit. 5.* & emancipatio, *Iuſtinia. in l. fin. de emancip. libero. li. 8. tit. 49. §. præterea, quib. mod. ius pat. pot. ſol. lib. 1. Inſtitut.* dicuntur liberationes a poteſtate dominica vel pater-
26 na. Coemtio † autem illa, erat ſimulata quædam diſtractio poteſtatis, qua tenebatur mulier antequam nuberet, & ex qua in poteſtatem aliam mariti ſcilicet, traducebatur. Siquidem ſui iuris antiquis nunquam fœmina erat, ſed ſemper in tutela alicuius
erat, vt † M. Portius Cato pro lege Oppia apud Liuium dixit *lib.* 27
*44.* maiores voluiſſe nullam nec minimam quidem rem ſine auctoritate fœminas agere, ſed in parentum fratrumve, aut liberorum eſſe poteſtate, vt Cicero *pro Cæcinna* ſcribit, non potuiſſe ſi-
ne tutore obligari, niſi Veſtales eſſent: nam † tunc eximebantur 28
a poteſtate ex lege Numæ, *Plutarch. in Numa,* proinde † vt ait 29
Euripides:

γυνὴ μὴ ἐξελθοῦσα πατρώων δόμον,
οὐ τῶν τεκόντων ἐστιν, ἀλλὰ τοῦ λέχους, id eſt,
*Mulier egreſſa domum paternam,*
*Non eſt amplius parentum, ſed mariti.*

Quod † apud Romanos coemtione fiebat: Nam coemtione ſi- 30
mulata in alienatione rerum qualicunque, moris erat etiam antiquis vti: veluti in emancipatione liberorum ante Iuſtinianum & Anaſtaſium, *l. fin. & pen. de emancip. libero. C. §. præterea, quibus mod. ius pat. pot. ſol. ab. Iuſt.* In emancipatione familiæ, per æs & libram teſtamento facto, *§. 1. de teſta. ordin. li. 2. Inſtit. tit. 10.* Liberabantur & a ſacris res, & profanæ fiebant per coemtionem ſacrorum, vt notat Cicero *pro Murena.* Carolus Sigonius *de antiqu. Roman. c. 9.* ex Varrone refert rationem coemtionis, vt veteri lege Romanorum nubentes mulieres tres aſſes ad virum deferrent, atque vnum, quem in manu tenebant, tanquam emendi cauſſa marito dare ſolitas: alium, quem in pede habebant, in foco larium familiarium ponere: tertium in ſacciperio cum condidiſſent compito vicinali reſignare. Igitur & vxor, quæ matrisfamilias nomen habebat, præter matrimonium, pactum in manu mariti faciebat de familia: ideo matremfamilias eam ſolam appellatam ait Gellius *lib. 18. cap. 6.* quæ in mariti manu mancipioque, aut in eius, in cuius maritus manu mancipioque eſſet, quoniam non in matrimonium tantum, ſed in familiam quoque mariti & in ſui heredis veniſſet. Quæ annotanda pro iure vxorum, & præſciri iuſſit Cicero 1. *de orato.* defendenti earum lites, dum ait, *Neque illud eſt mirandum, qui quibus verbis coemtio fiat neſciat, eundem eum mulieris, quæ coemtionem fecerit, cauſſam*
*poſſe defendere.* Neque † etiam ſolum nuptias, quæ per coemtio- 31
nem fiebant, in manu mariti fieri inuenio, ſed & illas, quæ per farreationem fiebant: modo vera ſint, quæ tribuuntur Vlpiano in vndetriginta libris, qui ex corpore eius collecti dicuntur: is enim ſibi ſcribit *in titulo 9. de iis qui in manu ſunt: Farre conueniuntur in manum certis verbis, & teſtibus decem præſentibus, & ſolemni ſa-*
*crificio facto, in quo panis farreus quoque adhibetur.* Ceterum † nu- 32
ptias quæ fiebant per farreationem, quidam dixerunt, proprias eſſe, tantumque frequentatas apud Gentilium pontifices ducentes vxores, ideoque ſacras nuptias dictas. Verum melius opinor illas omnibus quibuſcunque vti volentibus communes fuiſſe. Deinde tamen omiſſam earum ſolemnitatem farris adiiciendi, ſubrogatam in eius locum coemtionem exiſtimo, & ita exoleuiſſe, retentis tamen in coemtione ceteris confarrationi additis ſolemnibus, vique & efficacia. Quod ex collatione rituum coemtionis, & effectu & ſolemnibus nuptiarum confarrationis facile eſt colligere. Sic enim de iſtis loquitur Dionyſius Halicarnaſſ. *lib. 2. Hiſtor. Roma. Romulus conſtitutione redegit vxores, ad decentem modeſtiam: ea fuit talis. Mulierem nuptam quæ iuxta ſacratas leges conueniſſet cum viro, ei participem eſſe poſſeſſionem & ſacrorum omnium. Nominabant autem priſci Romani ſa-*
*cras nuptias, vocabulo † ſuo, farracia: quia coniuges veſcerentur eo-* 33
*dem farre, quod nos Græci Zean dicimus: & quemadmodum noſtri homines antiquiſſimam hordeaceam frugem rati, hordeo, quod molam ſalſam vocant, hoſtias initiant: ita Romani quoduis ſacrificium igne adolendum reſpergunt farre, quippe qui hoc genus antiquiſſimum exiſtimant & honoratiſſimum. Manet enim is mos hodieque, nec quicquam eſt additum ad frugalitatem priſtinam. Hæc ſane inter virum & vxorem communio primi & ſacri quondam habiti cibi, atque fortunæ quamuis optimæ, a communi farre nomen inuenit, vinculum efficiens indiſſolubile: nec vlla res tale coniugium dirimere poterat. Ita lex hæc mulieres nuptas non habentes quo ſe vertant alio, cogebat vnius mariti ſe attemperare moribus, viros item ſic habere mulieres, vt rem neceſſariam, nulloque diuellendam tempore: vxor enim pudica & marito ſemper obſequens, æque ac ille domus erat domina, & in eius defuncti bona ſuccedebat heres, ſicut parentis filia, ex aſſe quidem, ſi is liberis carens ac inteſtatus decederet: quod ſi prolem haberet, ex æquo cum liberis: ſi autem aliquid peccaret, pœnam luebat ex mariti læſi arbitrio, &c.* Hæc Dionyſius ad verba, quæ oſtendunt

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

dunt matrisfamilias dignitatem & auctoritatem fuiſſe, & in nu-
ptiis quæ per farrationem fiebant. Neque tempore Romuli ali-
as iuſtas nuptias puto fuiſſe: quod mihi confirmare videtur Pli-
nius *lib. 18. c. 3. Quin & in ſacris* inquit *nihil religioſius confarrati-
onis vinculo erat, nouæque nuptæ farreum præferebant.* Idemque
Plin. *lib. 18. c.* 8. ex adoreo ſeu farre fuiſſe antiquis cibum ſcribit.
Quibus ſi iungas quod ſuperius attuli ex Vlpiani *lib. titulor. tit. 9.
de iis quæ in manu ſunt*, ſelectis, & farre conueniri ſolitum in ma-
num mariti mulieres, intelliges nos poſſe vere aſſerere coemti-
34 onem ſu :ceſſiſſe in locum farris. Iure † tamen pandectarum
receptum eſt, & recentiori, matresfamilias etiam dici, quæ ſint
honeſtis moribus mulieres, ſiue illæ ſint viduæ, ſiue innuptæ
vel nuptæ, teſte Paulo *l. pronuntiatum, 46. §. matremfam. de verb.
ſig. lib. 50 P. tit. 16.* Item & eas, quæ non ſunt in poteſtate patris ſe-
cundum Vlpianum, *l. nam ciuium Romanorum, 4. de iis qui ſunt
35 ſui vel alie. iur. l. b. 1 P. tit. 6.* Ceterum † quæ eſſent nuptiæ vſu tan-
tum contractæ conſtat ex eo quod tradant, *Gellius, li. 3. c. 2 Sigo-
nius, lib. de antiquo iure Romanorum, c. 9.* vſu mulierem dictam
matrimonium contrahere, quando ea tutoribus auctoribus,
cum marito matrimonii cauſſa conueniebat, & per annum im-
pletum apud eum remanebat, qua conuentione non interrupta
vſu dicebatur capta: quod ſi per trinoctium abiiſſet, interrupta
vſucapio erat, & dicta vſurpata mulier. Verum conteſtatio præ-
cedebat in hoc genere vxoris inter virum & vxorem, quod ſo-
bolis procreandæ cauſſa coirent: alioquin enim ſi honeſta eſſet,
& ingenua ea, cum qua coniungeretur quis ſine ea teſtatione,
quod non ea mente vt vxorem haberet, vxor præſumebatur, &
pro ea erat: teſtatione autem præcedente, non vxor, ſed concu-
bina olim permiſſa, dicebatur, auctore Martiano Iuriſconſul *de
36 concubi. lib. 25. P. tit. 7. l. in libera, 24. de rit. nupt.* Et † certe melius
eſt, vt non annumeremus has concubinatus teſtationes, inter
matrimonii coniunctiones, quia illæ a matrimonio per ſolubile
vinculum differunt, vt notat Vlpianus *in l. 1. de concub. in P.* Niſi
37 dicamus † matrimonium illegitimum cum Calliſtrato, *l. pen. §.
fin. ad municipal lib. 50. P. tit* 1. & vxorem vulgarem concubinam,
quando ea quæ ſe in concubinatum dedit mulier, matronæ no-
men non amiſit: ſic enim opinor Vlpianum intelligendum, qui
ex hac coniunctione adulterium quoque eſſe exiſtimat, *Vlpia. l.
38 ſi vxor, 13. ad l. Iuli. de adulte. li. 48. P. tit. 5.* Siquidem † & illa loco
vxoris erat honeſta concubina iure illo Pandectarum. Et proin-
de tempore quo quis vxorem habet, inquit Iulius Paulus *libr. 2.
recept. ſent. tit. 21. de concubinis*, concubinam habere non poteſt:
& concubina ab vxore ſolo delicto ſeparatur. Quod & ſtatuit e-
dicto Conſtantinus *l. 1. de concubin. libr. 5. Cod. titul. 26. Populo e-
miſſo, nemini licentia concedatur*, inquit, *conſtante matrimonio con-
cubinam penes ſe habere.* Quod & firmauit Iuſtinianus *l. final. § fi-
39 nal. com. de manumiſſ. libr. 7 titul. 15.* Sicuti † nec licuit hoc iu-
re Romanorum ad ſimilitudinem vxoris habere, niſi vnam con-
cubinam, *§. conſiderauimus, in fine de trien. & ſemiſſe, in authentic.
collat.* 3. quæ tamen extra perſonam patroni matrisfamilias ho-
neſtatem non habebat, *Martia. l. ſtuprum, 41. de ritu nuptiar. lib.
23. titul.* 2. Sed de concubinis ſuo loco latius. Et hæc pauca de ri-
tibus Romanorum in nuptiis ſufficiant, quando hodie & tem-
pore iuris Cæſarei abierit ab vſu conuentio in manum, confar-
reatio, *Cornel. Tacit. libr.* 4. & iure Chriſtiano concubinatus & v-
40 xoris temporarię vſus. Omittam † autem conſulto recenſere re-
liquos ritus, qui vt plerunque ab iiſdem Romanis ſolemnibus
& præſtantiorum nuptiis adhibebantur, qui colligi poſſunt ex
libro 2 Lucani, dum agit de Martiæ & Catonis nuptiis: quia pa-
rum aut nihil ad neceſſitatem matrimonii, & ad iuris quod tra-
ctamus quæſtiones pertinere videbantur, veluti auſpicia, aquæ
& ignis tactus, qui fiebat a noua nupta, de quo Plutarchus *in pro-
41 blemat.* Meminit † & Scæuola Iuriſconſultus nuptias celebratas
igne & aqua adhibita, *Scæuol. in l. Seia, 65. § 1. de donation. inter vi-
rum & vxorem*, veluti cum ſymbolo generationis. Nam Philo-
ſophorum quorundam opinio eſt ex horum mixtione illam fie-
ri generationis actionem, terræ patiendi vim, tradentes: vel for-
ſan quia monere volebant antiqui ærumnarum cumulum in
nuptiis eſſe. Nam vt Græcus quidam ait, θάλασσα, καὶ πῦρ, καὶ γυνὴ κα-
κὰ τρία *mare, ignis, mulier mala tria.* Non perſequar ea quæ de ra-
ptu fiebant, qui Sabinarum referebat coniugia prima, non Tha-
laſſi viri nominationem dum nupta primum domum ingredie-
batur, per haſtam pilorum diſcriminationem, cinguli virginalis
ſolutionem, aliaque quæ claſſici bonarum literarum auctores
42 fuſe perſequuntur, *Plut. in Romulo.* Feruntur † & plures diuer-
ſarũ nationum ritus, *de quibus vide Bocatium libr. de nupt. & libr.
inſcriptum, le parangon de vertu. c. 4.* Cymbri, vt aiunt, vbi depa-
ctum erat matrimonium, vngues reſecabant, & ſponſus ſponſæ,
& contra ſponſa ſponſo ſegmenta dono mittebat: quę ſi mutuo
acceptarentur, matrimonium ratum erat, atque tunc ſimul ve-
luti coniuges conueniebant. Inter † Teutonicos, vxor marito, 43
maritus viciſſim vxori capillos radebat, in quo faciendo conſen-
ſus, nuptias perficiebat. Apud † Armenios, ſponſus ſcindebat 44
extremum auriculæ dexteræ ſponſæ, ſponſa autem ſponſo ex-
tremum ſiniſtræ: & hoc ſolo ritu perficiebatur matrimonium.
Apud † Elamitas ſponſi & ſponſæ mutuo ſibi vſque ad ſangui- 45
nem pungebant digitum cordis, præſentibus inuitatis & ita fir-
mabatur matrimonium. Apud † Numidas, vterque coniugum 46
ſpuebat in terram, & luto inde facto in ſymbolum matrimonii,
frontes mutuo inungebant. Dati mutuo ſe amplectebantur, &
iis qui aſtabant nouum nomen imponebant: quod ſi hilare ac-
ciperent, ratum erat matrimonium. Apud Hungaros, ſponſi mu-
tuo ſibi imagunculas argenteas præmittebant, quibus receptis
iucunde nuptiæ celebrabrantur. Mos apud Sicionitas, vt futurus
vir calceum pedis dexteri ſponſæ mitteret, ſponſa autem ſponſo
ſiniſtri. Apud Tarentinos, proximis vtrinque in conuiuium vo-
catis, perficiebant matrimonium, manducantibus ſponſo &
ſponſa eadem manu. Scythæ mutuo ſibi tangebant primum pe-
des, poſt genua, dehinc cubitos, frontes, oculos, aures, & tan-
dem ſe exoſculabantur, eoque ritu in perpetuum firmabatur
matrimonium. Apud † Cardienſes, ſacerdotes ad domum mari- 47
ti ibant, vbi conueniebat mulier, ibique accendebant ignem,
qui nunquam exſtingui, ſaltem dum viuerent, debebat: nam ſi
exſtingueretur, fiebat diuortium, & erat inſtar repudii, niſi ſi-
mul quadraginta annis vixiſſent: indeque abiit in prouerbium,
pro repudio aquam igni inii cere.

## Rationes, cur nuptiæ duorum tantum, & quare tot ritibus & ceremoniis initientur & probentur. Cap. 6.

1 *Deus matrimonium duorum in paradiſo iunxit, nouerunt & Ethnici a Deo inductum.*
2 *Ratio ſecunda, matrimonia inducta ad cohibendam vagam, & ferinam Venerem.*
3 *Lex Papia Poppæa de vetitis virorum ſexagenariorum & mulierum quinquagenariarum nuptiis ſublata, pariendi mulieribus annus quinquageſimus, terminus hominum ſexageſimus generandi.*
4 *Papiæ Poppææ legibus plura capita, & a quibus emendata.*
5 *Lex Papia Poppæa a quibus lata.*
6 *Lex Papia & lex Poppæa diuerſæ.*
*Poppæa de frequentandis matrimoniis.*
*Papia de iure ciuitatis.*
7 *Papia lex de dicendo teſtimonio.*
8 *Papia Pompeia lex.*
9 *Papia de ſexagenariis & quinquagenariis non coniungendis a Tiberio abrogata & a Seuero, quia vltra eam ætatem generare homines poſſunt.*
10 *Maſiniſſa poſt 86. annos filium generauit: Cato Cenſorius poſt 80. Cornelia poſt 62. & de Sara & Elizabetha.*
11 *Generationis inhibitæ, naturales cauſſæ.*
12 *Senibus nuptiæ quare permiſſæ.*
13 *Papia lex decimarum ab iis qui liberos non haberent ſublata. Idem num. 14.*
14 *Vxores ducuntur quoque in auxilium vitæ.*
15 *Vxoris bonæ vtilitates.*
16 *Vxoris peruerſitas a coniugio deterret, & quæ illa.*
17 *Cum vxore maritis duo boni dies tantum.*
18 *Vxor malum neceſſarium.*
19 *Vxor cæca, maritus ſurdus, quietum faciunt matrimonium.*
20 *Nuptiæ inductæ etiam ad prolis certitudinem, & quare ea exigitur: filii probatio eſt incerta niſi a nuptiis.*
21 *Filios proprios magis quam alienos & ſeipſos patres diligunt.*
22 *Filii remedium neceſſariæ ſucceſſioni.*
23 *Filios non procreare pœna illegitimi matrimonii, vel ſuſceptos non amare.*
24 *Per filios nomen poſteritati conſecramus.*
25 *Filii debent eſſe ſimiles parentibus.*
26 *Filii cauſſa laborum parentum, & quod acquirant.*
27 *Filiorum ſuppoſitio prohibita: eaque duplici modo fit:*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

28 *Subiiciendi partus techna ex Ariſtophane.*
29 *Virginitas præferenda nuptiis.*
30 *Nuptias reprobantes fuerunt hæretici Marcion, Enchratitæ, Origeniani.*
31 *Nuptias bonas negantium opinio vbi damnata.*
32 *Nuptiarum bona.*
33 *Nuptis multa impoſita, & habentibus liberos.*
34 *Matrimonii ſerotini & inhoneſti actio.*
35 *Nupti in Palmaria denegata menſa & honor.*
36 *Cœlibes Romæ mulctati.*
37 *Papia lex contra cœlibes ſublata.*
38 *Filios habentibus priuilegia & immunitates conceſſæ quid apud Romanos, & alias nationes.*
39 *Spartiatæ excubiis liberabant tres dantem filios Reipublicæ.*
40 *Priuilegia & fauores matrimonii remiſſiue.*

1 SEd diſcutiamus † paucis rationibus, cur antiqui nuptiarum
ritus & myſteria duorum tantum coniugum, regulis ita ſeriis
concluſerunt: quibus annectere poterit vnuſquiſque, quæ La-
ctantius Firmia. *lib.1. diuinar. inſtit. c.21.* Xenophon *in œconomic.*
& Ariſtoteles *2. politic.* communioni illi vxorum Socraticæ ob-
iecerunt. Prior itaque erit ab auctoritate Dei, & voluntate eius,
quæ certior & venerabilior & ſapientior omnibus omnium ho-
minum quantumuis philoſophantium ſententiis eſſe debet: is
enim coniugium duorum inſtituit cum conteſtatione prophe-
tica, hoc eſt, *os ex oſſibus meis, &c. Geneſ.2. canon.1.32. quæſt.1. ca-
non. denique, 26. diſt. can. ſicut, §.1.32. quæſt.2.* In loco qui pecca-
tum non potuit ferre, in paradiſo videlicet, vnde peccantes pri-
mi parentes pulſi ſunt, magnumque in hoc ſacramentum ſacra-
mento ſignatum vnionis Dei cum vnica ſponſa eccleſia, *ad E-
pheſ. cap.5. c. debitum, de bigam* Et Diuus Paulus *ad Hebræos cap.13.
Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus: fornica-
tores enim & adulteros iudicabit Deus.* Et Dionyſius Halicarnaſ-
ſeus *in precept. de oration. nupt. conſtruend.* qui verum Deum ig-
norabat, matrimonii inuentionem diis tribuit. Lege quoque
Athenæus *libr.5. Gymnoſ. cap.1.* ſancitum fuiſſe dicit, vt ſymposia
nuptiarum tempore celebrarentur Deorum nuptialium gratia,
& quaſi teſtimonii cuiuſdam. Quo fit, vt neque cœlibes, ob Dei
numen intereſſe nuptiis legitimis recuſent, ſicuti & dominus
noſter, dominus Ieſus Chriſtus interfuit in Cana Galileæ, *Ioan.
cap.1.* Sic Coluthus Thebeus Lycopolitanus *in ἁρπαγῇ τῆς ἑλέ-
νης in raptu Helenæ, verſicul.30.* in nuptiis Thetidis & Pelei, fingit
quoque ſtudioſam & tetricam alioquin Mineruam adfuiſſe, καὶ
βειαρὴν τειφάλειαν ἀπὸ κροτάφοιο μεθεῖσα ἐς γάμον ὡμάρτησε, γάμων ἀδί-
δακτος Ἀθήνη. Id eſt, *& horrendam galeam ex capite deponens, ad
nuptias ſecuta eſt, licet nuptiarum expers Minerua.*

2 Vnde † ſecunda alia ratio naſcitur, matrimonia quoque per-
miſſa & probata ad euitandam vagam illam more ferarum &
canum commixtionem, & ad remedium eorum qui continere
nequeunt, quos melius eſt nubere quam vri, *1. Corinth.7. cano. nu-
ptiarum, 26. quæſt.1.* vt ideo vnaquæq; virum ſuum habeat, quiſ-
que vxorem propriam, *1. Corinth.7.* Sic non ſolum ad ſobolem
procreandam, ſed & ad cohibendos motus illos venereos, *cano.
ſicut non omnes, §.1.32. quæſt.2.* Et ita Diuus Chryſoſtomus *propter
concupiſcentias iuuenilis ætatis,* inquit, *dominus noſter ſciens naturæ
infirmitatem, nuptias dedit, & ſanciuit, vt ab illicito concubitu abſti-
neretur, D. Chryſoſt. homili.59. in Geneſ. tom.1.*

3 Quamobrem † ſublata merito fuit lex Iulia & Papia, quæ
prolem tantum conſiderans, ſexagenarios vxores ducere prohi-
bebat, veluti ſteriles, & prolificationi minus idoneos, ex ſancti-
one Iuſtiniani, *l. ſancimus, 27. de nupt. libr.5. Cod. titul.4.* Et ea quæ
quinquagenarias quoque a nuptiis remouebat, *Iuſtinian. l. ſi ma-
ior, 12. de legitim. hered. libr.6. Cod. titul.57.* eadem ratione, quam
& Dionyſius Halicarnaſſeus ſequitur, exiſtimans quinquageſi-
mum annum eſſe pariendi terminum, nec vlterius ferre vterum
fœminam, *Dionyſ. Halicarnaſ. libr.4. antiquit. Roman.* Meminit
eius legis Lactantius *libr.1. de falſ. religion. cap.16.* dum de falſa re-
ligione agit: *Non illepide,* ait, *Seneca in libris moralibus philoſophiæ:
quid ergo eſt,* inquit, *quare apud Poetas ſalaciſſimus Iupiter deſierit
liberos tollere? vtrum ſexagenarius factus eſt, & illi lex Papia fibu-
lam impoſuit? an impetrauit ius trium liberorum, &c.* Papiam Pop-
4 pæam † legem multa continentem capita primus emendauit
Auguſtus ſub finem dierum & imperii, vt teſtatur Cornelius
5 Tacitus *libr.3. annal.* Non † tamen ſatis conſtat, a quo & quando
lata fuerit: ſiquidem Iſidorus *in 4.* ſcribit, ſub Octauiano Cæſare
ſuffectos Conſules Papium & Pompeium legem tuliſſe, quæ a
nomine eorum dicta ſit Papia & Pompeia, continentem pa-
trum præmia pro ſuſcipiendis liberis. Alii a Q. Æmilio Papo,
qui cum C. Fabritio Lucino Conſul fuit: Alii a C. Pap. Tribun.
pleb. de quo meminit Appianus *libr.1. bell. ciuil. Ludouic. Cha-
rundas in catalogo legum antiquarum, in l. Iulia, & aliis legibus ciui-
tatis Romanæ.* Et Ioannes Cuſpinianus in commentariis in Au-
reli. Caſſiodori Conſules, *in anno ab vrbe 761. ſub Q. Sulpitio &
Cn. Pompeio.* arguit hunc erroris, quod nunquam iſti fuerint ſi-
mul conſules inuenti, vultque eam olim antea tuliſſe Papium
Poppæum. Dio Caſſius tamen ſcribit *libr.56.* hanc legem Papi-
am Poppæam, de maritandis ordinibus latam a M. Papio Muti-
lo, & Q. Poppæo, qui in parte eius anni ab vrbe condita ſeptin-
genteſimi ſexageſimi primi Conſules erant, ſecundum Bartho-
lomæum Marlianum patritium Mediolanenſem in annalibus
Conſulum & Dictatorum, *Marlia. in conſulibus anni ab vrbe 761.*
Qui † & diſtinctionem ponendam inter legem Papiam, & le- 6
gem Poppæam contendit, nec ſimul Papiam Poppæam dicen-
dum eſſe, & duas eas fuiſſe: alteramque contra adulteros Papi-
um, & alteram Poppæam de frequentandis matrimoniis tuliſ-
ſe. Tamen Philippus Beroaldus ſimul iungit pro eadem Papiam
Pompeiam apud Suetonium, *in cap.23. & 19. Claud. Cæſaris apud
Suetonium.* Fuit & altera lex Papia, quæ peregrinos a iure ciuita-
tis repellebat, vt Cicero meminit *in officiis, & pro Archia poeta, &
4. ad Atticum. & pro L. Cornel. Bal.* & alii *Valer. Maxim. libr.3.
cap.4. in Perpen.* Diſponebat & circa Veſtalium conſecrationem
Papia, vt viginti legerentur prius a Pontifice Maximo, vt ſcribit
Gellius *libr.1. cap.12.* Licet & alia capita legis Papiæ obſeruare in
iure, partim expuncta, vt & quædam Alexander ab Alexand. an-
notauit, *libr.4. genial. dier. cap.22.* qui etiam ſemper legit legem
Papiam & Pompeiam.

Erat † & aliud caput legis Iuliæ & Papiæ iudiciorum publi- 7
corum, ne alicui inuito denuntiaretur, vt teſtimonium dicat ad-
uerſus ſocerum, generum, vitricum, & ſimiles perſonas, quas
Paulus Iuriſconſultus refert *in l.4. de teſtib. lib.22. P. titul.5.* Quæ-
dam & Alciatus de lege Papia pulcre pertractat *libr.3. diſpunct.
cap.3.* Et † fuerunt tot alia legis Papiæ Poppææ capita, vt non 8
poſſim non induci legendum eſſe Papiæ Pompeiæ potius a Cn.
Pompeio, qui in turbulento ſtatu triumuiratus, leges reforma-
uit. Sic enim Cornelius Tacitus in annalibus, *vbi poſt Syllam
Dictatorem, multas aboleuiſſe & induxiſſe leges & poſtea alias Lepi-
dum ſcripſit, & redditam licentiam tribunis, quo vellent populum a-
gitandi: & cum plures eſſent leges in corruptiſſima republica, tunc,* in-
quit, *Cn. Pompeius tertium conſul corrigendis moribus delectus, &
grauior remediis, quam delicta erant, ſuarumque legum auctor ac
ſubuerſor quæ armis tuebatur, armis amiſit.* Sic † ab hoc qui plura 9
capita addit Papia Pompeia dici lex poteſt. Verum quod ad in-
ſtitutam tractationem pertinet, inter alia capita eius, illud erat:
quod ſexagenariis, & ſupra hanc ætatem, turpe ducere vxorem
viſum, & ad procreandos liberos inconueniens. Cuius capitis
primum conſtituit vacationem, pro cuiuſque ciuis conditione,
Claudius Tiberius Cæſar, *Sueton. in Claudio, c.19.* & poſtea, edi-
cto abrogauit, *Sueton. in Claudio, c.23.* Seuerus etiam Imperator
leges Papias excluſit, quas etiam Tertullianus *in Apologet.* vaniſ-
ſimas appellat. Siquidem & Ariſtoteles *7. de animal. hiſt. c.6.* aſſe-
rit etiam poſt ſexageſimum annum, & ſeptuagenarium genera-
re poſſe: *Mares,* inquit, *plurimi ad ſexageſimum generant, quem ſi
exceſſerint, ad ſeptuageſimum vſque procedunt.* Et alibi *Ariſtot. 7. po-
lit. c.16. Finem vt plurimum gignendi viris annum ait ſeptuageſi-
mum, mulieribus quinquageſimum.* Prodidit † & Plinius *li.7. c.14.* 10
literis Maſiniſſam regem poſt octoginta ſex annos generaſſe fili-
um nomine Methymathinum: & Catonem Cenſorium, octo-
geſimo exacto e filia Salonii clientis ſui: ex Cornelia Scipionum
gentis, Voluſium Saturninum poſt ſexageſimum ſecundum an-
num: & octogeſimum quintum apud ignobiles, vulgarem repe-
riri generationem. De Maſiniſſa teſtatur quoque Solinus *Polym.
hiſt.* Sunt & exempla in ſacra pagina Abrahæ & Saræ, *Geneſ.18.*
& Elizabeth matris D. Ioannis Baptiſtæ, *Lucæ 1.* Et † quamuis A- 11
riſtoteles *1. de genera. anima. c.18.* & Galenus *lib.2. de tuend. ſanit.*
tradant, ſemine carere ęgros propter imbecillitatem: ſenes, quia
non poteſt eorum natura ſatis concoquere, pueros, propter in-
crementum in quod conſumunt. Nihilominus tamen qui ſint
ſenes iſti ita debiles, manet in controuerſia: ſiquidem alii aliis ci-
tius vel tardius ſeneſcunt, aliique aliis natura robuſtiore vel in-
firmiore ſunt. Vt † non immerito quoq; plenius abrogata fuerit
illa

illa lex a Iuſtiniano Chriſtiano, vt ſupra docuimus, & nuptiæ
quoque iſtis ſenibus permiſſæ fuerunt: cum & illi ſtimulis cupi-
dinis poſſent incendi, & inde peccandi daretur occaſio, ſi con-
cubitu licito vti illis non liceret. Et quanquam ille concubitus
generationi inefficax ſit ſenum, tamen ad peccandum, & ad de-
lictum extra matrimonium eſſet diſpoſitus, vt ideo nec prolem
13 aliquando conſideremus in nuptiis. Sicuti † & in hac parte lex
Papia alio capite abrogata ab Honorio & Theodoſio, quæ deci-
mas exigebat a relictis vxoris vel marito, ex quorum coniugio
nulli geniti eſſent liberi, *l.2. de infirmand. pœn. cœlib. & orbita. lib.*
14 *8. C. tit. 58.* Succurrit † huic emendationi, tertia ratio nuptia-
rum, vt matrimonium inductum ſit, non tam ad ſedandam libi-
dinem, vel ad prolem producendam, quam in auxilium marito-
rum & cõiugum. Et ideo in geneſi *Gen. 2.* mulieris ſcriptum eſt,
cum de homine creanda eſſet, faciamus ei adiutorium ſimile. Si
quidem in illa ſocietate coniugali partito onere ſolicitudines,
& curæ, & moleſtiæ, leuius feruntur. Et vt dicebat Hierocles *in*
*lib. nupta.* οὐδὲν οὕτω φορτικόν ἐστιν τῶν ὄντων, ὥστε μὴ ῥᾷστον εἶναι συμφρονοῦσι γε
ἀνδρὶ καὶ γυναικὶ, καὶ κοινῇ φέρειν αὐτὸ βουλομένοις, *nihil tam oneroſum eſt,*
*quod vir & vxor non facilime ferant concordes, & communi opera*
15 *quicquid eſt ferre volentes.* Octauianus † apud Dionem Caſſium
*lib. 56. hiſt. Rom.* optimam rem eſſe vxorem pudicam ait, domus
cuſtodem, adminiſtratricem & nutricem liberorum, quæ & ſa-
num exhilarare, & ægrum curare, lætis vtenti ſocia eſſe, aduerſas
conſolari poſſit: iuuentutis nimiam animi naturam coercere, ef-
fœtam ſenectæ auſteritatem temperare. Hinc prolis iucundita-
tem, animi & corporis paterni imaginem, vt alter tute ex te na-
ſcaris, hinc ſucceſſorem, reipublicæ magnam vtilitatem, & artes
omni opera tractatas. Ariſtoteles *Ethicor. ad Nicomach. libr. 8. c.*
*12.* quoque hoc firmat his verbis: *Homo natura magis coniugale a-*
*nimal eſt, quam ciuile: quanto prius & neceſſarium magis eſt domus*
*quam ciuitas, & procreatio communior animalibus. Atque cetero-*
*rum quidem animalium: hic ſocietatis eſt terminus: homines autem*
*coniugium ſubeunt, non ſolum procreationis ſed eorum etiam gratia,*
*quæ ad ipſam conferunt vitam. Officia namque continuo ſunt diuiſa,*
*atque alia viri, alia ſunt vxoris: Opem itaque mutuo ferunt, res pro-*
*prias in commune ponentes. Quapropter hac in amicitia vtilitas in-*
*eſt, atque voluptas. Erit autem & ob virtutem etiam amicitia ſi boni*
*ſint: eſt enim vtriuſque virtus atque hoc ipſo gaudebunt. Filii autem,*
*parentum vincula ſunt & nexus: filii namque, bonum eſt vtriuſque*
*commune: ipſum autem commune continet.* Et Columella *lib. 1. de re*
*ruſtica, cap. 8. Sed qualicunque villico cõtubernalis mulier aſſignan-*
*da eſt, quæ eum contineat, & in quibuſdam tamen rebus eum adiu-*
*uet.* Ideo iure ciuili, vxor tenetur & operas ſuas præſtare marito,
16 & eius vtilitati, *l. ſicut. de operis liberto. in P.* Scio † tamen pleroſ-
que ob mores potiſſimum iſtius ætatis mulierum corruptiſſi-
mos, quæ vix, raro aut nunquam ad ſympathiam coniugalem
conuenire queunt, quæve ſuo arbitrio viuere, imperare, domi-
nari, & agere volunt, calamitatum & infortunii & miſeriarum
initium, matrimonio iungi & perpetuis moleſtiis collaudare, a-
17 cerbiſſimum putent. Quibus † & reſponderi poteſt, prius deli-
gendam eſſe vxorem, quam ducendam, cognoſcendam, quam
amandam: & ſæpius malitiæ & contemtus vxoris cauſſam, eſſe
ſtultitiam & fatuitatem maritorum, qui non nouerint cum vxo-
ria opera auctoritatẽ viri retinere. Etſi quis a natura mulierũ, vt
mala ꝓprietate quadã vrgeat & inſtet, duos tantũ dies matrimo-
nio gratos & ſuaues eſſe: vnũ, cum vxor ducitur: aliũ, cum mortua
effertur, vt dicebat Hipponax: & vt Chæremas ſepelire vxorem,
18 q̃ ducere melius: Reſpõdebo † cũ Suſarione, *apud Stob. in nuptiis:*
κακὸν γυναῖκες, ἀλλ᾽ ὅμως, ὦ δημόται,
οὐκ ἔστιν οἰκεῖν οἰκίαν ἄνευ κακοῦ:
καὶ γὰρ τὸ γῆμαι, καὶ τὸ μὴ γῆμαι κακόν, id eſt,
*Malum ſunt mulieres, verumtamen o populares*
*Hoc ſine malo domum inhabitare non licet,*
*Nam & vxorem ducere & non ducere malum eſt.*
Sed vt ait D. Ambroſius *lib. de inſtitutio. virgi. c. 7.* non eſt vitium,
mulieris eſſe, quod naſcitur, ſed vitium viri quærere, quo ſæpe
tentetur. Neq; res reiiciendæ ſunt, quod interdum incautis offi-
cere ſolent: nihil enim adeo eſt vtile, quod aliquid ſecum non
adferat incommodi. Sic enim mala bonis coniuncta ſunt, & do-
lores voluptatibus, ne quis obliuiſcatur ſe mortalem, ſi omnia
19 ex voto ſuccederent. Erit † & vnicum remedium prudentiæ in
coniugii tolerantia addendum vt maritus fiat ſurdus mulier au-
tem cæca: Sic enim Alphonſus Hiſpaniarum rex, matrimonium
exigi tranquille & ſine querela poſſe dixit, *Anton. Pan li. 3. de dict.*
*Alphon. c. 7.* Quarta † nuptiarum introducendarum & conſer- 20
uandarum ratio eſt, prolis certitudo, quam habere permagni in-
tereſt: primum ob curam & ſolicitudinem maiorem liberorum,
quos quis diligentius conſeruat, nutrit & inſtruit, dum ſuos no-
uit, vel tales eſſe ſibi perſuadet ob nuptias. Filium enim defini-
mus, quem nuptiæ demonſtrant, *Vlp. l. filium, 6. de iis qui ſunt ſui*
*vel alie. iur. li. 1. P. tit. §. Paul. l. quia ſemper, 5 de in ius voc. lib. 2. P. tit.*
*4.* alioquin enim difficilis, imo fere impoſſibilis filiationis pro-
batio dicitur, *Paul. l. Lucius, 82. de cond. & demon. lib. 35. P. tit. 1.* Vt
& illi, qui ex concubitu promiſcuo meretricis, patrem habere
non cenſeantur: non quidem quod patre careant, ſed quod cer-
tum demonſtrare vel honeſte non poſſint. *Modeſtin l. vulgo con-*
*cepti, 23. de ſtat. homi. li. 1. P. ti. 5. §. ſi aduerſus, de nup. ap. Iuſtin.* matre
quidem ſemper certa, *Paul. l. quia ſemper, 5. de in ius voc in P.* ſed
patre citra nuptias incerto. Et † naturale hoc eſt omnibus ani- 21
mantibus, ſuos fœtus potius diligere & nutrire, quam alienos,
veluti ex ſubſtantia propria productos. Sicuti enim nemo car-
nem ſuam vnquam odit *ad Eph. 5.* & ſeipſum non diligit: ita quæ
ſuæ ſubſtantiæ ſunt, non amare non poteſt. Terrentur ideo ma-
gis veri parentes in filiorum periculo, quam proprio, *Paul. l. iſti*
*quidem 8. de eo quod met. cauſ. li. 4. P. tit. 2. § pen. de noxal. actio.* af-
fectu ſummo gnatos amplectentes *l. conſilio, de curat. furio.* Sic
Euripides in Iphigenia in Aulide, *Actu 4.*
δεινὸν τὸ τίκτειν, καὶ φέρει φίλτρον μέγα.
πᾶσίν τε κοινόν ὥσθ᾽, ὑπερκάμνειν τέκνων, id eſt,
*Res efficax peperiſſe, fertq; vim amoris maximam.*
*Omnibus namq; commune eſt, vt pro ſuis maxime laborent liberis.*
Lucianus *in amatorib.* dicebat, † ſucceſſionis neceſſariæ inuenta 22
fuiſſe remedia, filios. Iuuenalis *Satyr. 1.* pœnam † illegitimi con- 23
iugii dixit, non habere liberos vel inde ſuſceptos non amare:
*Interea,* inquit, *tormentum ingens nubentibus hæret,*
*Quod nequeunt parere & partum retinere maritos.*
Siquidem & ſubnixum liberis, dicitur matrimonium, & veluti
confirmatum, & firmius dixit Vlpianus *l. 1. §. fi. de libe. exhib. lib. 43.*
*P. ti. 29.* Et ſæpe diuortium filios natos prohibere, etiam ex adul-
terio conceptos, docet Iuuenalis *Sat. 9.*
Sed mariti putati
*Inſtabile, ac dirimi cœptum, & iam pene ſolutum,*
*Coniugium in multis domibus ſeruauit adulter.*
Sed † eo magis incenduntur parentes ad liberorum educatio- 24
nem, quia, vt ait Calliſtratus *l. liberorum, 220. de verb. ſigni. li. 50. P.*
*tit. 16. Filios filiaſve idcirco concipimus atque edimus, vt ex prole eo-*
*rum earumve diuturnitatis nobis memoriam in æuum relinquamus,*
quod aſſequi non poſſet quis, ſi incerta proles eſſet, vel alterius
ſeminis commixtione contaminata. Similes namque, vt plerun-
que ſolent eſſe filii parentibus, *quod diſputat. Ariſt. lib. 1. de gener.*
*animal. c. 16. & 18. Et de hiſtor. animali. li. 7. c. 6.* Sic Catullus † *in epi-* 25
*thala. Iuliæ & Mallii.*
*Liberos date: non decet*
*Tam vetus ſine liberis*
*Nomen eſſe, ſed indidem Semper ingenerari.*
Et vt ait Horatius *li. 4. carmi Ode. 4.*
*Fortes creantur fortibus & bonis:*
*Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum*
*Virtus: nec imbellem feroces*
*Progenerant aquilæ columbam.*
Et vt Pindarus Pythio *Ode 8.*
φυᾷ τὸ γενναῖον
ἐπιπρέπει ἐκ πατέρων παισὶν λῆμα, id eſt,
*Natura generoſum*
*Adiacet ex patribus: liberis fiducia.*
Vt inde etiam emanarit dictum, intereſſe maxime reipublicæ
partus non ſubiici, *l. ſuper ſtatu, de quæſtio. C. l. 1. § quamuis, de ven.*
*inſpic. in P.* vt ordinum dignitas & ſplendor familiarum degene-
ri familia non conſpurcetur. Et Valerius Maximus *libr. 9. cap. 15.*
imprudentiæ dicit genus nullo modo ferendum, periculique
tum priuati, tum etiam publice late patentis infimo loco natos
mendacio ſe clariſſimis familiis inſerere, quod exemplis pro-
bat. Alioquin † ſi vxores communes, & proles eſſet incerta, & 26
hereditates, quæ ex voto parantur *leg. ſcripto, vnd. liber. cum ſimi-*
*libus*, a parentibus liberis, vt dicemus Deo fauente in ſucceſſio-
nibus, contra votum illorum, ad extraneos peruenirent. Et
ſæpe laborare & quærere contemnerent homines, quæ com-
munibus, non propriis, vel alienis eſſent relicturi; libe-
roſque communes contemnerent: naturale quippe vitium

eſt, negligi quod communiter poſſidetur, *l.2.quan.& quib.quar.*
*pars debe.lib.10. C.tit.34.* Sicuti & ſi certus non eſſet parens, ſene-
ſcentibus parentibus rata eſſet in eos curandos gratia. Sicque
Phalaris ad vxorem Erythriam ſcribit, εἰς τίνας γὰρ ἄν τις ἀναγκαιοτέ-
ρους εὔξαιτο πλεονάζειν, γυναικὸς ἢ παιδὸς ἐπιμεληθεὶς; *Quis*, inquit,
*familiarium gratia deſideraret diteſcere, non habens curam vxoris*
27 *vel filiorum?* Et † idcirco proſpiciant leges, ne ſupponantur par-
tus a mulieribus maritis, ne hereditates proximis vel veris libe-
ris ſubripiant eorum prætextu, *Vlpia.l.1.§.ſi mater, & l.3.§.ſi ma-*
*ter, de Carbon.edic.li.37.P.tit.10.* Et hæc ſuppoſitio fit dupliciter:
ſiue dum ſe fingit mulier a marito concepiſſe, & tamen ab alio
concepit, cuius datur accuſatio etiam ea prægnante, ſed ſuſpen-
ſo iudicio, donec edatur interdum partus ne quod præiudicium
fieret nato, vt ait Paulus *l.ſi ventris nomine, 8. de ve.in poſſ.mitte.li.*
*27.P.tit.8.* interdum minime ſi natus, *l miles, § quæ propter, de ad-*
*ult.in P.l.1 §.ſi.de Carbon.edic in P.li.37.tit.10.* Aliquando ſuppo-
ſitio fit, dum ſe peperiſſe mulier fingit viro & non peperit, ſed a-
liunde partum editum ſibi ſubiicit. Quamobrem proditum eſt
edictum, de ventre inſpiciendo, vt conſtat ex l.1.eius tituli. Exſtat
iudicium ſapiens Salomonis, *3.Reg.3.c.adferte mihi gladium, cap.*
*2.de præſumtio.lib.2.Decreta.tit.3.* in ea ſpecie & hypotheſi, inter
meretrices, quarum vna occiſo puero ſuo & imprudenter ſuffo-
cato, alterius ſibi vindicabat, ſuum dicens, & vt talem petens.
28 Meminit de † ſupponendi arte mulierum Ariſtophanes, in ce-
lebrantibus Cerealia:

*Alteram* (inquit vna mulierum) *quæ dicebat dolores partus ha-*
*bere mulier*
*Per decem dies, donec emit infantem.*
*Maritus autem obibat vrbem, medicamenta celerem partum*
*facientia emens.*
*Intulit autem anus in olla infantem,*
*Vt ne clamaret cera obturatum:*
*Deinde vt annuit capite anus quæ ferebat, vxor ſtatim clamat.*
*Abi, abi, iam enim, o vir, mihi videor*
*Paritura eſſe: imum ventrem enim infans calcibus percuſſit.*
*Et hic quidem lætatus cucurrit: hæc vero extraxit*
*Ex ore infantis cerulam, ille vero clamauit*, &c.

Scribit Luithprandus *lib.3.de reb.in Europa geſtis, cap.13.* Hugo-
nem regem Italiæ metuentem, ne Lambertus Marchio Thuſ-
ciæ, filius Bertæ matris ſuæ, ſibi regnum eriperet, dixiſſe, & ſup-
poſuiſſe qui dicerent, Bertam Addelberto viro ſuo nullum fili-
um peperiſſe, ſed ab aliis mulieribus clam acceptos, ſimulato
partu Lambertum & Guidonem ſibi ſuppoſuiſſe, quatenus poſt
mortem Addelberti ſibi non deeſſent filii, quorum adiutorio o-
mnem potentiam poſſideret. Poſt continentiæ & virginitatis
29 præſtantiam, nuptiæ valde honorandæ. *Præferimus † autem ſan-*
*ctitatem, ſine nuptiarum damnatione*, inquit Tertullianus *l.1.ad-*
30 *uerſ.Marcion. non vt malo bonum, ſed vt bono melius.* Ex † quibus,
eos conſtat toto cœlo totaq; via, vt dicitur, erraſſe, qui improba-
runt nuptias, vt iniquas. Quemadmodum hæreticus Marcion,
matrimonium vt malum & impudicitiæ negotium accuſauit, vt
impedientem ſanctitatem, quam ipſe falſo iactabat. Cum tamen
ſanctitas cuiuſquam, niſi poſt matrimonium fuerit: nec poteſt
ſtare genus humanum, niſi naſcantur homines, vt late diſputat
Tertullianus aduerſus Marcionem *in 1.* Damnati & hæretici Eu-
cratitæ, dicentes palam, nuptias eſſe diaboli, teſte Epiphanio *to-*
*mo 1.li.2.con.hæreſ.hære.47.* Item & Origenii, qui & turpes dicti,
omnis libidinis mancipia, reiicientes nuptias, *Epipha.tom.1.li.2.*
*hære.63.* Et Hierax, qui vt ſcortationes improbauit, improbatus,
31 *idem Epipha.li.2.tom.2.hære.67.* In † concilio itaq; Gangrenſi, *ca.*
*ſi quis vituperat, & can.quicunq; virginitatem.31.diſti.in Syn.Gan-*
*gren.c.1. & 9.* ita cautum: *ſi quis vituperat nuptias, & dormientem*
*cum viro ſuo fidelem ac religioſam deteſtatur, aut culpabilem æſti-*
*mat, velut quæ regnum Dei introire non poſſit, anathema ſit.* Et in ca-
nonibus Apoſtolorum, *cano.51.* inhibita nuptiarum etiam βδελυ-
*gia*, id eſt, exſecratio ſeu odium. Nota impietatis poſtremi ſeculi
etiam in eo ſignatur a Sibylla *oraculor.lib.8.* quod deficiet coniu-
gio honor, dicens:

κοὐδὲ γάμος ἀμαχρυσῷ ὅπος ποτὲ τίμιος ἔσαι. id eſt:
*Nec tunc coniugiis honos, auro præſente manebit.*

Quod & apertius D.Paulus tradit *1.ad Timoth.4.* Qui enim huic
ſacramento & bono maledicunt, homicidæ quodammodo ge-
neris humani videntur, hoſteſq; reip. cuius intereſt ciuitates re-
pleri hominibus liberis, *l.2.de indic.viduit.toll.lib.6.C.l.ſed ſi hoc,*
*61.§.fin cum 2.ſeq.de cond & demon.lib.35.P.tit.1.* non periuriis &
impudicis moribus: & mulieres habere eximio priuilegio ſub-
nixas dotes, vt poſſint nubere, *l.1.ſolu matrim.P.* Laudauit † pu- 32
blice Auguſtus Dio, *lib.56.* nuptias, quod multitudinem auge-
rent, quod conueniat naturæ mortalitatem perpetua ſtirpis ſuc-
ceſſione, quaſi facem aliis ſubinde porrigentibus, compenſare:
vt qua ſola re dicebat, a diuina felicitate abſumus, eam perenni-
tatem mutuo inuicem nobis tradamus. Proinde † idem grauio- 33
rem mulctam innuptis vtriuſque ſexus ſtatuit: contraq;, nuptia-
rum & multitudinis liberorum præmia conſtituit, *idem libr.54.*
Hoc ipſum antea leges fecerant, & poſtea pariter aliquantum
perſeuerauit. Plato in legibus ſuis *lib.6.* ſtatuit, vt nemo ſine con-
ſortio matrimonii viueret in ciuitate, quinque & triginta agens
annos: alioquin ſingulis annis, ſi de maiori eſſet cenſu, drachmis
centum mulctaretur: ſi de ſecundo, ſeptuaginta: ſi de tertio, ſe-
xaginta: ſi de quarto, triginta: neque honorum fore participes.
Iulius † Pollux ſcribit *lib.8.Onomaſt.* apud Lacedæmonios fuiſſe 34
actionem & iudicium ſerotini nimium matrimonii & inhone-
ſti. Palmaria † regione orbis nuperrime detecti, cuius regulus 35
dictus Pontachanus, nemini non coniugato fas eſt iungi in men-
ſa, vel eadem lance veſci, aut poculo bibere, paremque coniuga-
to ſe præbere, vt ait Petrus Martyr, *in orbe nouo de inſul. nuper in-*
*uentis.* Olim † qui cœlibem vitam apud Romanos etiam dege- 36
rent, cenſoria nota mulctabantur: veluti ingrati, exprobrante
cenſore, quod natura, vt legem naſcendi, ſic & gignendi dediſſet,
vt refert Valer. Maximus *lib.2.c.4.* & Cicero *3.de legibus.* Lege Pa-
pia † ius liberum non erat ſuccedendi, qui cœlibem ducebant 37
vitam, donec Conſtantinus ſua conſtitutione caput illud ex-
punxit, quæ exſtat *l.1.de infirm.pœn.cœliba.li.8.C.tit.58.* & memi-
nit de ea Euſebius *li.4.de vita Conſtanti.* Lex Papia præmium pa-
tribus poſuit, *c.quædam leges.2.diſt.* Meminit † & Iuuenalis *Satyr.* 38
*9.* cum mulier maritum cogitantem diuortium, ſic obiurgat:

*Iam pater es, dedimus quod famæ opponere poſſis.*
*Iura parentis habes, propter me ſcriberis heres,*
*Legatum omne capis, nec non & dulce caducum.*
*Commoda præterea iunguntur multa caducis,*
*Si numerum, ſi tres impleuero.*

Suſcipientibus liberos, plures vacationes & immunitates datæ,
*l.fin.de his qui numer.liber.ſe excuſ.lib.10.C.tit.51.l.2.de vacat.mu-*
*ner.l.1.qui numero.lib.ſe excu.C.§.1.de excuſat.tutor ap.Iuſtinia.* Et
pro ſingulis liberis a minore ſuſceptis, tot anni ætati ſupple-
mento dati ſunt, *l.2.de mino.25.an.P.* Diocletianus, inter ſcriptos
in albo decurionum, patrem non habenti filios præferri voluit,
*l.in albo, 29.de decurion.li.10.C.tit.31.* Sed & Papinianus reſpon-
dit *l.ſpuriis, 6.de decurio.lib.50.P.* vt qui plures liberos habet, in
ſuo collegio primus ſententiam dicat, ceteroſque honoris ordi-
ne præcellere. Meminit & Cornelius Tacitus *lib.2.annal.* de le-
ge candidatorum magiſtratus proſequentium, quæ ſtatuebat, vt
numerus liberorum in illis præpolleret. Sunt & alia iura, & pri-
uilegia vnius, duorum, trium, quatuor, quinque, & plurium li-
berorum, quæ hic non addam: eo quod proprio libello nuperri-
me explicata ſint a M.Vertranio Mauro cui titulus, De iure libe-
rorum. Iulius Cæſar etiam aliquando legem tenuiorem, in ſena-
tum detulit, de agris diuidundis patribus, quibus ius trium libe-
rorum eſſet, mercedem popularis beneuolentiæ iam inde me-
ditatus: cuius tamen ſententiæ multi reſtiterunt in Senatu, vt
ſcripſit Appianus Alex *li.2.bello ciui.* Et Auguſtus Cæſar propri-
um locum honoris cauſſa in theatro maritis diſtinxit, *Suet.Tran-*
*quill.in Auguſto capit.44.* Iulius Scipio, cum in ſeditionibus &
bellis conſpiceret multitudinem interiiſſe, præmia etiam pro-
poſuit iis, qui multos liberos procreaſſent, *Dion.Caſſius, lib.43.*
*Hiſt.Roman.* Columella *li.1.de re ruſt.c.8.* dabat fœminis ruſticis,
quibus tres erant liberi, vacationem: quibus plures, libertatem.
Apud Perſas rex mittebat munera ſingulis annis, vt ſtrenuo ei,
qui plures ſuſtuliſſet liberos, teſte Herod. *in 1.* Erant & Romæ
homines, qui generationi filiorum vacabant, qui proletarii dice-
bantur: qui niſi magna vrgente neceſſitate ad prælium ibant, vt
ſcribit Oroſius *li.4.c.1.* lex † eſt Spartanis, vt qui tres filios ſuppe- 39
ditaret reip. is ab excubiis liber eſſet: qui vero quinque, ab omni-
bus publicis officiis immunitatem haberet, Ælianus *lib.6 c.5.* &
Ariſtoteles *li.2.polit.c.7.* Apud Maſſilienſes nemo inter τιμούχους,
id eſt, ſexcētos viros, qui moderabātur remp. creari poterat, niſi
haberet liberos, & ex ciuiū ſanguine tertiā per generationē or-
tus fuiſſet, vt auctor Strabo *li.4.Geogr.* Priuilegia † fauoreſq; ma- 40
trimonii colliguntur a Bartholomeo Chaſſan ad conſuetudines
Burgūdiæ ad tit. *des droictz appartenans a gens mariez* in pr. Rubri.

De iu-

## De iuſtis, & prohibitis nuptiis propter ætatem coniugum. Cap. 7.

1 *Iuſtæ nuptiæ quæ.*
2 *Iuſtæ nuptiæ exigunt ætatem legitimam coniugum.*
3 *Ætas nuptiarum Platoni, & Ariſtoteli legitima.*
4 *Immaturæ ætatis coitus mala.*
5 *Medicorum & Romanorum generandi tempus definitum.*
6 *Citius pubeſcunt & intereunt fœminæ viris, quare.*
7 *Puberes ex potentia coeundi in nuptiis conſiderantur.*
8 *Malitia in nuptiis ſupplet ætatem. Puella vitiata in ſeptimo anno. Macrobiorum fœminæ pariunt ſeptimo anno: Calingæ quinquennes.*
9 *Puer nouennis nutricem impregnauit. Phares genuit Ezron nouem annos natus.*
*Salomon in vndecimo Roboamum.*
*Achaz decimo Ezechiam.*
10 *Ex inſpectione corporis pubertas, poſtea ex annis determinata.*
11 *Plena pubertas octodecim in viris.*
12 *Vxor legitima annis duodecim.*
13 *Nuptiæ factæ ante ætatem legitimam non valent, Nec iure ſponſaliorum, num. 15.*
14 *Nabenda ſponſo nuda exhibita, & ſponſus nudus ſponſæ Viopiæ.*

1 ENcomia, † rationeſque nuptiarum, & quæ proxime de nu-
ptiis liberis dicta ſunt, de iuſtis & non prohibitis, intelligi de-
bent. Iuſtas autem nuptias contrahunt, qui ſecundum præcepta
legum coeunt. §. 1. *de nupt. lib. 1. Inſtitut.* Et inde filii legitimi & na-
turales, *l. filium, de his qui ſunt ſui vel alien. iur. lib. 1. P. c. penul. qui
filii ſint legit. lib. 4. Decretal.* §. 1. *de patris poteſt.* vt contra, iniuſtæ
nuptiæ, quæ contra eadem præcepta fiunt, nec nomine matri-
monii dignæ, nec qui inde nati ſunt, appellatione filii legitimi di-
gni ſunt. *l. qui contra, de inceſt. nupt. lib. 5. C.* § *ſi quis aduerſus, de nup.
ap. Iuſtinia.* Ceterum præcepta legum in hac tractatione & pro-
hibitoria ſunt, & diſponunt etiam ritum, quem in contrahendo
ſeruari deſiderant: vbi quoque & prohibitio ineſt, ne aduerſus
2 præſcripta quiſquam moliatur. ¶ Deſiderant † igitur legitimam
ætatem in nuptiis contrahendis, omnia iura: veruntamen in ea
determinanda, vel pro more regionum conſeruato, vel alia qua-
dam ſingulari ratione, variant. Quorum aliqua ſummatim capi-
3 ta ſubnotabimus. ¶ Plato, 4. & 6. *de legib.* a triceſimo vſque ad
triceſimumquintum annum ætatem matrimonio mari idoneam
dixit. Ariſtoteles 7. *Politic. c. 16.* mulieres decimooctauo anno:
mares, circa ætatem 36. annorum cõiungi oportere. ¶ Alioquin
4 † immaturas nuptias gignere corpora puſilla, facere mulieres Ve-
neri nimium indulgentes, vt citius ei aſſuetas: & omnibus iuue-
nibus animalibus partus eſſe imperfectos, quia ſemen nutritioni
corporis adhuc inſeruiat. Apud Germanos, qui diutiſſime impu-
beres remanſiſſent, maximam inter ſuos ferebant laudem. Hoc
ali ſtaturam, ali vires, neruosque confirmari putabant. Intra ve-
ro annum vigeſimum fœminæ notitiam habuiſſe, in turpiſſimis
habebant rebus, vt ait Iulius Cæſar, *lib. 6. de bell. Gallic.* Heſiodus
item ſic ſcribit, *in ergis.*

ὡραῖος δὲ γυναῖκα τεὸν ποτὶ οἶκον ἄγεσθαι,
μήτε τριηκόντων ἐτέων μάλα πόλλ' ἀπολείπων,
μήτ' ἐπιθεὶς μάλα πολλά, γάμος δέ τοι ὥριος οὗτος,
ἡ δὲ γυνὴ τέτορ' ἡβῴη, πέμπτῳ δὲ γαμοῖτο,

Id eſt,

*Ætate matura vxorem ducito domum,*
*Neq; minor multo nata triginta annis,*
*Neq; multo maior, iſtæ enim tempeſtiuæ ſunt nuptiæ,*
*Virgo vero pubeſcẽs anno decimoquarto, nubat decimoquinto.*

5 Generandi in nuptiis cauſſa præcipue eſt, quare ætas apud Phyſi-
cos & Medicos conſtituitur eius, ad minus 13. annorum & vnius
diei, in maſculis. D. Auguſtinus adoleſcentiam, *lib. 6. de ciuit. Dei
c. fin. & in Pſalm.* 104. nec decennem generare poſſe contendit.
*D. Auguſti. lib. 15. de ciuit. c. 12. & 15.* Romani duodenem virginem
magis aptam matrimonio, quam maiorem rati ſunt: vtpote ma-
gis ad iugum maritale conſueſcendum idoneam, vt ſcribit Plu-
6 tarchus, *in vitis, in comparat. Numæ. & Lycur.* ¶ Citius † autem
pubeſcunt fœminæ viris, cuius rationes notat Ariſtoteles, *libr. 4.
de generat. animal. c. 6.* Intra parentem fœmina tempore longio-
re conficitur, quam mas: vbi in lucem venerint, celerius fœmi-
næ quam mares. Nam & pubes, & vigor, & ſenectus fœminis
prius venit, quam maribus: ſunt enim fœminæ ſua natura debi-
liores, frigidioresque, & ſexum fœmineum quaſi læſionem na-
turalem, & detrimentum eſſe putandum eſt. Intus igitur tardæ,
præ ſua frigiditate diſcernũtur: hæc etenim diſcretio, concoctio
eſt. Calor autem concoquit, & quod calidius, id concoctu faci-
lius. Sed foris propter ſuam debilitatem, cito ad ætatis florem ſe-
nectamque perueniunt. Etenim omnia minora, vt in artis ope-
ribus, ſic in naturæ, citius ad finem deueniunt. Proinde † qui iu- 7
ra conſtituerunt, & rem accuratius conſiderarunt, definierunt
maſculos puberes, fœminas viri potentes eſſe debere, *c. 2. de ſpon-
ſal. impub. lib. 4 Decret. tit. 2.* §. 1. *de nupt.* ſcilicet vt poſſent eſſe ad
prolem idonei. Et proinde iuris Pontificii antiſtites ſtatuunt pu-
bertatem, in potentia coeundi, non in annorum numero: vt pu-
bes dicatur qui generare poteſt. *c. 3.* § *fin. de deſponſ. impub.* Atque
in controuerſiis matrimonii, num cognita aliqua ſit, non habe-
tur ratio ætatis, ſed ad ſigna ipſa virginitatis indaganda committi
ſolent mulieres eius artis peritæ, *Grego. 8. c. propoſuiſti, c. 4. & Ho-
nor. 3. c. cauſſam matrimonii, c. 14. de probatio. lib. 2. Decretal. tit. 19.
cap. nec aliqua, 27. q. 1.* quæ per aſpectum corporis iudicant. Et
commixtio ſolet anticipare tempus pubertatis. *c. a nobis, c. 8. & c.
atteſtationes, 10. de deſponſat. impub.* ¶ Et † in iſtis malitia ſupplet 8
ætatem. *c. de illis qui in minori, c. 9. de deſponſat. impub. l. 3. ſi minor
ſe maior dixer. C.* Succurrit quod ex mulieribus celebrantibus
Cerealia apud Ariſtophanem vna ſic ait, *Ariſt. in Cerealib.*

*Ego enim ipſa primum, vt ne alia dicam,*
*Conſcia ſum mihi ipſi multorum malorum. Illud vero certe*
*Indigniſſimum eſt, cum ſponſa quidem fui tres dies,*
*Et maritus apud me erat dormiens, erat mihi amicus,*
*Qui quidem me vitiauit ſeptem annorum exſiſtentem, &c.*

Refert Plinius, *lib. 7. cap. 2.* Macrobiorum, quibus Mandrorum
nomen dedit Clitarchus, fœminas ſeptimo ætatis anno parere,
ſenectam quadrageſimo accedere. In Calingis eiuſdem Indiæ
fœminas quinquennes concipere, octauum vitæ annum non ex-
cedere. Notat † Gregorius in Dialogis, puerum nouennem ſuam 9
nutricem imprægnaſſe. *gloſſ. in ſumm. 20. quæſt.* 1. Scribitur apud
Hebræos, quod Phares filius Iudæ genuit Ezron, cum tantum
nouem annos haberet. *in libro Seder olam Zutha.* Item Salomon
in vndecimo anno genuit Roboam. Nam Roboam ſucceſſit pa-
tri Salomoni, agens annum 40. *3. Reg.* 14. Salomon autem, dum
vitam & regnum deſeruit, erat annorum 52. anno autem duo-
decimo regnum ſuſcepit. *3. Reg. c.* 2. & 40. tantum tenuit. *3. Reg.*
11. Achaz etiam procreauit decennis Ezechiam, nam anno vige-
ſimo ætatis regnum conſecutus, adminiſtrauit ſexdecim: Sic o-
biit anno vitæ ſuæ trigeſimoſexto. 4. *Reg.* 16. Iam autem Ezechias
patri ſucceſſerat in regno, natus annos 25. *d. cap.* 16. 4. *Reg.* Et D.
Hieronymus, *epiſto. ad Vitalem*, præmiſſa tamen obteſtatione,
commemorat mulierculam, alioqui prouectam, factam fuiſſe a
puero decenni grauidam.

¶ Fuit † & aliquando apud Romanos & mos receptus, ex aſpe- 10
ctu corporis iudicari pubertatem viri, *l. minor 25. annor. de mino-
ribus, P.* non autem mulieris: verum ſicuti in muliere, ita & in vi-
ro poſtea turpe viſum: & decreta eſt certa annorum ætas, qua vt
plerunque, vterque ſexus ſolet pubeſcere: in fœminis duodecim
annorum, in viris quatuordecim. §. 1. *quibus mod. tut. finit. apud
Iuſtin. l. fin. quando tut. vel cur. eſſe deſi. lib. 5. C. titu. 60.* ¶ Quan-
quam † & plena pubertas ad generandum idonea, dicta etiam 11
fuerit octodecim annorum. §. *minorem, de adoptio. l. arrogatio*, §.
*1. eod. tit. lib. 1. P.* ¶ Quod † & poſtea receptum eſt in iure Ponti- 12
ficio, niſi de poteſtate generandi controuerſia iudicialis moue-
retur, citra quam & duodenes mulieres puberes, & 14. annorum
viros, eamque ætatem nuptiis deſiderari rati ſunt, *cap. 2. & 3. &
c. atteſtationes, de deſp. impub. cap. 1. de delic. pueror.* Sicuti & iura ci-
uilia. §. 1. *de nuptiis.*

¶ Ideo † reſponſum, *Pompo. l. 4. de rit. nupt. lib. 23. P. tit. 2.* mi- 13
norem annis duodecim nuptam, tunc legitimam vxorem fore,
cum apud virum duodecim annos impleuiſſet. Quamobrem ſi
ante illam ætatem nuptiæ factæ ſunt, illæ non iure matrimonii,
ſed iure ſponſaliorum valebunt: ſiquidem præceſſerint ſponſalia:
quod ſi non præceſſerint neque valent nuptiæ iure ſponſaliorũ,
quia non ea mens fuit agentium, neque iure nuptiarum, quia lex
improbat, niſi poſtea ratæ ſint. Hocque expreſſe reſpondit Vlpia.
*l. quæſitum, 9. de ſponſal. lib. 23. P. tit. 1.* ex ſententia Iuliani. Neque
enim quod voluerunt, facere potuerunt, ſcilicet matrimonium
in minori ætate, in qua deeſt legitimus conſenſus: neq; quod po-
tuerunt facere, ſcilicet ſponſalia, voluerunt. Quamobrem ex re-
gulis iuris communis, nihil actum videtur valide, duo enim ſunt
quæ actum perficiunt cõcurrentia, voluntas, & poteſtas, quorum

altero deficiente, & actus caret actione & effectu. *l.1.de iure codicil.in P.l.multum intereſt,ſi quis alt.vel ſibi, C.ca. cum ſuper, c. 23. de offic. deleg.lib.1.Decret.tit.29.* Quare & notabile, vt ſi intra illam ætatem per verba de præſenti facta fuerint ſponſalia, quæ inſolubilia diximus,liceat pœnitere perueniente minore ad illam ætatem: ſi tamen perſeuerauerint poſt ætatem minorem, non licet. *cap.de illis quæ infra, cap.7.& cap.a nobis,c.8.iunct gloſſ. de deſponſ.imp.cap.1.de ſponſal. cap.1.per totum de deſponſ.impub.in 6.*

14 ¶ Refert † Thomas Morus, *lib.2.Vtopiæ,* apud Vtopienſes inſulanos fœminas non ante duodecimum annum nubere, mares nō niſi expletis quatuordecim. Mulieremque ducendam,ſiue virginem,ſiue viduam, ſponſo futuro nudam exhiberi: item futurum maritum vxori nudum.

15 ¶ Dio † Caſſius *libr.54. Hiſtor. Roman.* Octauium Auguſtum ſummopere cauiſſe tradit, ne pactiones matrimoniales fierent de ea, quæ decennis non eſſet, neve producerentur poſt ſponſalia vltra biennium: tum maxime, quod eos, qui ante feciſſent, detectum eſt animo percipiendi fructus bonorum vxoris, cum matrimonii rem ipſam non exhiberent,feciſſe.

## De Conſanguinitate & Affinitate in genere.

### Cap. 8.

1 *Proximitas ſanguinis nuptias vetitas facit & impias.*
2 *Cognatio quid.*
3 *Cognationis diuiſio Ariſtoteli in naturalem & ciuilem.*
4 *Cognatio naturalis alia approbata a lege, alia non.*
5 *Vulgo quæſiti & ſerui natura habent cognationem,non iure ciuili.*
6 *Cognatio vel propinquitas ciuilis quæ, quotuplex, ſpiritualis & temporalis, & quæ, & de mixta.*
7 *Affinitas propinquitas mixta quid.*
8 *Ordo naturalis cognationis & graduum.*
9 *Gradus quid.*

1 PRoximitas ſanguinis, † nuptias quæ per ſe bonæ ſunt,improbas & impias inter certas perſonas conſtituit, cum quibus lex & natura abhorrent coniunctionem. Qua in re in primis oportet moneri iuuenem: ad hæc intelligenda, neceſſariam illi cognitionem eſſe graduum cognationis, de qua poſtea proprio capite dicemus, quamq; luculenter docent Iuriſconſulti ſub tit.11.lib.38.P. *Potiſſimum in l.1.2.3.9.10.* De gradibus affinitatis, vel affinibus,vt dicunt ſcribi in Pandectis Florentinis. In quem coniectanea quædam vtilia edidit Georgius Viuiennus Antuerpianus. Et ſub eodem titulo Iuſtinianus, *tit.de grad.cognat. apud Iuſtinia.* & Demetrius Chomathenus, *titu.de grad.conſanguinit.lib.3.iur. Oriental.* In ſumma tamen monebo cognationis finitionem, & diuiſionem,& ordinem.

2 ¶ Cognati † communiter dici putantur,quod quaſi vna communiterve nati, vel ab eodem orti, progenitive ſint,vt ait Modeſtinus, *l.4.§.1. de gradib.affinit.P.* & vt ait Vlpianus ex Labione, *l.1.§.1. vnde cogna. lib.38. P. titu.9.* quaſi ex vno nati, & quaſi commune naſcendi habentes initium. Vocant Græci συγγενεῖς, vt ait Paulus, *l.Iuriſconſult.10. de grad. cognat.affin.P.* & appellat etiam lex duodecim tabularum agnatos. Verum inter agnatos & cognatos intereſt, quod agnati tantum ſunt,qui per patrem cognati ex eadem familia ſunt: at cognati ſolum, non agnati dicentur illi, qui per fœminas coniunguntur, Quo fit, vt ius agnationis aliud a iure cognationis,vt in ſpecie ſumta cognatione, vt explicat Paul.Iuriſconſult. *d.l.Iuriſconſultus.* & Modeſtinus, *l.inter agnatos.5.vnd.legit.lib.38.P.tit.8.*

3 ¶ Diuidimus † autem cum Iulio Polluce. *lib.3.Onomaſt.cap.1.* Ariſtoteles vero, *lib.2.Politicor.* cognationem, quam Græci vocant συγγένειαν diuidi in eam, quæ eſt πρὸς αἵματος, & eam, quæ eſt κατ᾽ οἰκειότητα καὶ κηδείαν, tradit,id eſt,in eam, quæ per neceſſitudinem ſanguinis, & eam, quæ per affinitatem coniungitur. Theophilus, *lib.Inſtitut.tit.6.* vocat, ἀγχιστείαν. Balſamon autem, *Nomo can.tit.13.cap.2.* συμπενθερίαν. Aliter diuidimus propinquitatem ſeu cognationem in naturalem & ciuilem ſeu legalem, naturalis in ſanguinis ex vno ſtipite, vel a quadā coniunctione quorundam,participatione legalis illam imitatur.

4 ¶ Ceterum † *Modeſtin.l.4.§.cognationis ſubſtantia, de gradib. affinit.P.§.1.de ſucceſſ.cognat.lib.3.Inſtitut.tit.5.* ſubdiuiditur vtraque: nam naturalis cognatio,& propinquitas interdum ſimpliciter eſt naturalis, a lege omnino improbata coniunctione: alia quę habet legis etiam conſenſum. Prima per concubitus vagos & ex filiis inde ortis naſcitur: eſtque naturalis reuera, quæ etſi iure ciuili non recipiatur, tamen eius iura ſanguinis nullo iure ciuili dirimi poſſunt. *l.iura ſanguinis, de reg.iur. l.ius agnationis, P. de pact.* Quæ naturalis eſt cum legis conſenſu ex nuptiis naſcitur iuſtis: olim ex concubinatu probato ex eodem quoque oriebatur.

5 ¶ Vulgo † quæſitos ſic iure ciuili (naturali tamen contra) nullos habere agnatos manifeſtum eſt: cum agnatio a patre, cognatio a matre eſt. *Iuſtinian.§. vulgo quæſitos, de ſucceſſ.cognat. libr.3. Inſti. & l.ſpurius,4.vnd.cogn.P.* Hi autem nullum patrem habere intelliguntur, & tantū cognati ſunt ſibi & matri,non conſanguinei: non q; tales patri nō ſint, ſed quia cui ſint incertū & inhoneſtum eſſet dici. *Modeſtin l.vulgo concepti, 23.de ſtat.homin. P.lib.1. titul.4.* Sic in ſeruis,qui pro nullis iure ciuili habentur, *l.quod attinet,de regul.iur.* & inter quos diximus non eſſe matrimonium, *ſupra,in nuptiar.ſynony.* eo iure cognatio vix admittitur, vt non ſuccedant eo iure. *l.1.§.1. vnd.cogn.in P.Paul.l.Iuriſconſultus, l.10. §.nomen cognationis, de grad. affinit.*

6 ¶ Cognatio † vel propinquitas ciuilis eſt, quæ ad ſimilitudinem graduum naturalis inducta eſt. Ea autem vel temporalis ſeu ſecularis, vel ſpiritualis eſt: ſecularis ex adoptione naſcitur, *Vlpia. l.1.§.cognationem, vnd.cogn. lib.38. P.tit.9. Modeſtin. l.4. §. agnationis, & §.in adoptionem, de gradib.affinit.in P.* Spiritualis dicitur ea, quæ naſcitur ex ſuſceptione infantis in ſacro lauacro regenerationis ſeu baptiſmo, & confirmatione, de qua tractant ſummi Pontifices ſub titulo de cognatione ſpirituali lib.4.Decret. titul. 10.potiſſimum,cap.fin. & 30.quæſt.3.& 4.in Decreto Gratiani. ex,&c. 7 ¶ Ex † his omnibus mixta propinquitas fit affinitas, quæ gradibus non continetur propterea quod trium generum habet complexum, vt ait Demetrius Chomathenus Archiepiſcopus Bulgariæ. *in lib.3.iur.Oriental.titul.* περὶ βαθμῶν συγγενείας. Affines ſunt viri & vxoris cognati inter ſe, dicti ab eo, quod duæ cognationes,quæ diuerſæ inter ſe ſunt, per nuptias,id eſt, ratione illarum copulantur: & altera cognatio ſic ad alterius cognationis finem accedit,& limitem. Sitque initium inibi & cauſſa coniungendæ affinitatis ex nuptiis,vt ait Modeſtinus *l.4.§ affines,de grad. affinit.P.* Ideoque vir & vxor affines non ſunt. *gloſſ.in l.affinitatis, commun.de ſucceſſio.lib.6. C.tit.58.* nec dicuntur: eo quod illi iuncti ſunt, & quod iunctum & confuſum eſt, fines aut terminos nō habet. Sed qui proxime illos ſequuntur, affines, ſecundumque gradum proximitatis vel cognationis eodem gradu affines conſanguinei erunt. Accedit & affinitati, alia affinitas interdum: quæ eſt cum affinibus coniunctio aliorum, qualis in vxore quæ fuit priuigni, apud Papinianum. *in l.vxorem,15.de rit.nupt.lib.23.P. tit.2.* 8 ¶ Ex † ordine autem naturalis cognationis & gradibus ceteræ cognationes normam generaliter ſuſcipiunt. Ordo eius in lineam rectam & obliquas ſiue laterales deſcendentes diſtribuitur. Linea illa recta,in duas æquales, puncto in medio diuiditur: in ſuperiorem & inferiorem partem. *Paul.in l.ſtemmata,9.de gradib.affinit.* Ex hoc puncto laterales quoque incipiunt,& eius puncti ratione,gradus fiunt & numerantur. 9 ¶ Gradus † porro ad ſimilitudinem ſcalarum,locorumve procliuium, quos ita ingredimur, vt a proximo in proximū, id eſt, in eum,qui quaſi ex eo naſcitur, tranſeamus, vt ait Paulus, *l.fin.§.gradus autem,eod.* Quando ex puncto mediæ lineæ ſupra aſcendimus, gradus aſcendentium numeramus ordine, primum,ſecundum,tertium,&c. Quando, deſcendimus, deſcendentium primum,ſecundum, tertium,&c. Quando a puncto ad latus declinamus, dicimus collateralium primum,ſecundum,tertium,&c. In primo gradu ſi conſtituas filium de quo quæratur,erunt pater,mater: in ſecundo,auus, auia, tam patris quam matris: in tertio proauus, proauia, patris & matris,&c. Si de patre & deſcendentibus agatur, erit in primo, deſcendentium linea, filius filia: in ſecundo,nepos neptis: in tertio, pronepos & proneptis,&c. Ex filiis & filiab. nati deinceps, vtrinque faciunt laterales cognationes, prout te docent exempla & enumerationes Caii & Pauli, *Caius in l.1.& Paul.l.fin.de grad.cogn.* & Iuſtiniani, *Inſtit.§.1.de grad.cogna.& ſeqq.§§.*& Demetrii Chomatheni. Quomodo autem numerandi ſint gradus iure ciuili & canonico, vide glo.ad l.Iuriſc.l.10.§.parentes, ad verba,item liberi,de gradib.affinit. Affinitatis gradus illis ipſis,quibus cognatio naturalis,perpenduntur, ſed diuerſa habent nomina: per ſe tamē nullos habet gradus affinitas. Nomina autem harum diſtinctionum, ſocer ſocrus,gener nurus, nouerca vitricus, priuignus priuigna, *Modeſt.l.non facile, 4.de grad.affinit.*&c.

De Per-

## De Perſonarum diſtinctione, quæ ex coniunctione maris & fœminæ naſcitur: & de conſanguinitate vel cognatione. Cap. 9.

Lib.4.Decret.tit.14. Lib.38.P.tit.11. Lib.3.Inſtitut.tit.6.

1 *Ex nuptiarum coniunctione conſanguinei & affines.*
2 *Conſanguinei qui.*
3 Συγγένεια *& affinitas & conſanguinitas eſt.*
4 *Cognatio quid.*
5 *Cognatio duplex, ciuilis & naturalis, & mixta.*
6 *Cognatio naturalis etiam per fœminas orta vulgo conceptis.*
7 *Cognatio diuiſa, in cognationem, & agnationem.*
8 *Cognatio amittitur ſeruitute, quomodo.*
9 *Cognatio ciuilis quæ, ſeu legitima quæ ex adoptione.*
10 *Ciuilis cognatio quoq; ſpiritualis ex baptiſmo & confirmatione.*
11 *Cognatio mixta naturalis & ciuilis ex nuptiis legitimis, diuiſa in cognationem, & agnationem.*
12 *Agnatorum & cognatorum differentia.*
13 *Cognationis nomen generale, pertinet ad parentes, liberos, & propinquos ex latere.*
14 *Aſcendentes & deſcendentes qui.*
15 *Parentes & maiores qui.*
16 *Liberi & poſteriores qui.*
17 *Laterales perſonæ quæ.*
18 *Cognatio lateralis diuiſa in agnatos & cognatos, & quæ perſonæ ſint huius.*
19 *Agnationis & cognationis ſublata differentia.*
20 *Typus diuiſionis ſtemmatum aſcendentium, deſcendentium, & collateralium.*
21 *Schemata & ſtemmata cognationum quid.*
22 *Gradus cognationum quare dicti.*
23 *Superior & inferior cognatio a primo gradu incipit, collateralis a ſecundo, nec habet primum.*
24 *Linea tranſuerſalis ratione graduum duplex, æqualis & inæqualis.*
25 *Gradus numerandi diuerſi modi iuris ciuilis & canonici, quare & qui.*
*Gradus in iure Pontificio generationes dicuntur.*
26 *Cognatio vltra ſextum gradum non numeratur iure ciuili, & ratio. Plura de his quæ ſeptimo numero finem accipiunt in homine.*
27 *Gradus decimus in ſucceſſionibus deferendis locum habet.*
28 *Methodus numerandi gradus in iure Pontificio per generationes & regula.*
29 *Nuptiæ prohibitæ inter deſcendentes & aſcendentes vſq; ad infinitum, in quo conueniunt ciuilia & Pontificia iura.*
30 *In collateralium gradibus numerandis, differunt in nuptiis Pontificia iura & ciuilia, quare.*

1 POſſent ſufficere ad † nuptiarum cognitionem, quæ iam pro-
ximo capite, de cõſanguinitate & affinitate diximus: ſed vt di-
ligentioribus ſatisfaciamus, eadem paulo latius tractabimus. Ex
coniunctionibus maris & fœminæ, fiunt perſonarũ aliæ nomen-
claturæ, quæ in duo capita reducuntur, nempe conſanguineorũ,
& affinium. *rub. de conſang. & affinit. lib.4. Decret. tit.14.* ❡ Con-
2 ſanguinei † ſunt ex eodẽ ſanguine orti, *l.1. §. poſt ſuos, de ſuis & le-
git. hered. li.38. P. tit.71.* inde conſanguinitas, quam Iuriſc. vocant
interdum neceſſitudinem, *l. fi. de leg. P.* aliquando ius ſanguinis,
3 *l. iura ſanguinis, de reg. iur.* Græci συγγένειαν. † Et conſanguineos
συγγενεῖς, vt ait Paul. *in l. Iuriſconſultus, 10. de grad. affini. P.* dicunt,
quos nos cognatos appellamus. Verum Paulus labi videtur, cum
Græci συγγένειαν, non tantum ad conſanguinitatem, ſed etiam ad
affinitatem pertinere dicant, vt ex Iulio Polluce conſtat, *lib.3. Onomaſt. c.1.* quã vocant κηδείαν & οἰκειότητα: recentiores ἀγχιστείαν,
& Theophilus συμπενθερείαν, vt & Balſamon. *Nomoca. tit.13. cap.2.*
4 ❡ Cognationis † itaq; nomen quod & conſanguinitatis generale
eſt, naturæ propagationem per ſe ſignificans. *Cognati,* inquit Mo-
deſtin. *in l. non facile, 4. §. cognati, de grad. affin. dicti, quod quaſi vna
communiter ve nati, vel ab eodem orti progenitive ſunt.* Et ab vno
initium habentes, *l.1. vnd. cog. lib.43. P. tit.9.* naturalemq; cauſſam
cognatio habet. *§. ſunt autem, iuncto §. de legit. agna. tut. lib.1. Inſti.
titu.15. §. qua parte, de ſucceſſ. cognat. lib.3. Inſtit. tit.5.*
5 ❡ Sed † quia hæc cognatio habuit in quibuſdam caſibus re-
ſtrictionem & normam, idcirco bifariam diuidenda eſt cognatio,
in naturalem & ciuilem: vnde & tertia ex his mixta oritur, ciuilis
& naturalis ſimul. *d. l. non facile, §. cognationis.*

❡ Cognatio † naturalis per ſe ſine ciuili cognatione intelligi- 6
tur, quæ per fœminas deſcendit, quæ vulgo liberos pariunt. *d. §.
cognationis. & §.1. de legit. agn. tut.* Huius generis ſunt qui deſcen-
dunt ex concubina naturales tantum, vel ſpurialii, etſi demon-
ſtrare patrem poſſint, non tamen honeſte: quos lex ciuilis non a-
gnoſcit, vocatque non conſanguineos ſed proximos. *l. ſi ſpurius,
vnd. cognat.* Natura tamen conſanguinitatem eorum demonſtrat
ex generatione. Etiam in legitimis coniunctionibus, quod per-
tinet ad coniunctos & proximos, cognationis origo etiam per
fœminas ſolas contingit, *l. iuriſconſultus, §. cognationis origo, de gra.
affinit. P.* videlicet vt explicat Theophil. *§. & quinam ſint agnati,
de legi. agna. tut. lib.1. Inſtitut. tit.15.* quando agitur de cognatione
quæ ex latere venit. ❡ Nam † ea diuiſa eſt in agnatos & cognatos. 7
Et cognati ſunt, qui per fœminam non contingunt, vt ſoror ea-
dem matre genita, & liberi eius. Natura etiam inſpecta dicitur
cognatio inter ſeruos, quamuis ius ciuile eam parum conſideret,
*tit. de ſerui. cognat. lib.3. Inſtit. tit.7. d. l. Iuriſconſultus, § nouum, ver.
inter agnatos, de grad. affinit. l.1. §. pertinet, vnde cog. P.* quia pro nul-
lis eos habeat. *l. quod attinet, de regu. iur.* ❡ Ideo † iure ciuili co- 8
gnatio amitti dicitur ſeruitute, *§. quod autem, de capit. dimi.* non
quidem, vt cognatus natura eſſe deſinat, quia hoc fieri non po-
teſt ciuili ratione, *l. iura ſanguinis, de reg. iur. l. ius autem agnatio-
nis, de pact. P. l. eas, de cap. dimin. P. §. ſed naturalia, de iur. natu.* ſed,
vt iura cognationis amittat, puta ſuccedendi ius, & id genus alia.
Remanent ergo & in ſeruis naturales cognationes, vt ea ratione
inter gradus prohibitos, natura illis vetet coniunctiones, *§. illud,
de nupt. ap. Iuſtin.* ſeu contubernia. *l. cum ancillis, C. de inceſt. nupt.*
❡ Ciuilis † cognatio per ſe, quæ etiam legitima dicitur, eſt, quæ 9
ſine naturali fit per adoptionem. *d. l. non facile, §. cognationis & c.
1. de cogna. lega. Cognationem,* inquit Vlpian. *l.1. §. cognationem,
vnd. cognat. facit etiam adoptio: quibus etenim fiet agnatus, is qui ad-
optatus eſt, eiſdem & cognatus fiet. Nam vbicunque de cognatis agi-
tur, ibi ſic accipiemus, vt adoptione etiam cognati facti contineantur.*
Siquidem non tantum naturales, ſed etiam adoptiui iura con-
ſanguinitatis habẽt cum his qui ſunt in fami. vel in vtero, vel poſt
mortem patris nati. *l.1. § fin. de ſuis & legitim. hered.* Quærunt e-
nim per adoptionem fraternitatem. *c. per adoptionem, 30. queſt.3.*
❡ Ciuiles † tantum quoque cognationes exiſtimandæ, quæ ſpi- 10
rituales ſunt proximitates ex baptiſmo, & ſacra chriſmatis confir-
matione natæ, *in c.1.2. & 3. ſeq. de conſang. ſpirit. lib.4. Decreta. tit.
11. in c.1.2. eod. in 6.* has enim digniores cognationes, quam natu-
rales exiſtimamus: quia per iſta duo ſacramenta renaſcitur & re-
generatur homo ad vitam æternam. *can.1.2.3. 30. quæſt.3.* Quo fit
etiam, vt in aliis ſacramentis, in quibus hæc regeneratio non fit,
non contrahatur paternitas vel conſanguinitas ſpiritualis. *c. fin. §.
fin. de cogna. ſpirit. in 6. c. omnes, 30. q.1.*

❡ Cognatio, † quæ vtroque iure conſiſtit, id eſt, naturali & ci- 11
uili, eſt, cum ea, iuſtis contractis nuptiis, copulatur. *Modeſt. in d. l.
non facile, §. cognationis.* Et hæc cognatio cum per fœminas con-
iungitur, cognatio naturali nomine: cum autem per virilem ſe-
xum, dicitur agnatio. *d. §. cognationis. & §. ſunt autem, de legiti. agn.
tut.* ❡ *Cognati,* † inquit Paulus, *& quos agnatos lex 12. tab. appellat:* 12
*ſed hi ſunt, qui per patrem cognati ex eadem famil. ſunt. Qui autem
per fœminas coniunguntur, cognati tantum nominantur.* Inter agna-
tos igitur, & cognatos hoc intereſt, quod inter genus & ſpeciem:
nam qui eſt agnatus, & cognatus eſt: non vtique autem qui co-
gnatus eſt, & agnatus eſt. Alterum enim ciuile, alterum autem
naturale nomen eſt. Hoc modo Modeſtinus tradit, neque affini-
tatem neque cognationem eſſe poſſe, vbi nuptię interdictæ ſunt.
*l.4. §. ſciendum eſt, de grad. affini. P.* Ceterum vt hæc facilius intel-
ligamus, iſtam legitimam & naturalem cognationem diuidamus,
ex qua conſanguineorum omnium & ciuilium habebitur pro-
ximitatis dignotio.

❡ Cognatio † itaque nomen generale ſit, quod diuidimus in 13
parentes, liberos & propinquos, ex latere. *Theophil. in §. & qui-
nam ſunt agnati, de legitim. agnat. tut. in ſuis Inſtitut.* Parentum ſu-
perior cognatio, ſiue aſcendentium dicitur, liberorum inferior,
vel deſcendentium: ea quæ a latere ex tranſuerſo vel collatera-
lium, fratrum, & eorum qui ex his generantur. *§.1. de grad. cogna.
l.1. de grad. affin. P.*

❡ Aſcendentium † nomen latius diffunditur quam parentum: 14
vt & liberorum anguſtius, quam deſcendentium. ❡ Nam † pa- 51
rentes apud Romanos, vſque ad tritauum proprio nomine ap-
pellantur: vlteriores, qui non habent ſpeciale nomen, *maiores*
appellantur. *l. Iuriſconſultus, §.5. parentes, de grad. affini. l. cuique,*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

16 §.*fin. de in ius voc. in P.* ❡ Item † liberi vſque ad trinepotem, vltra
hos, *poſteriores* vocantur, *d.§.parentes.* etſi & aliquando quoque li-
beri, *l.liberorum, 220. de verbo. ſignific.* ſicut & aliquando filii no-
mine, omnes liberos intelligimus. *l.filii. 84. eod.* Parentes ſunt, qui
nos genuerunt, pater, mater, auus, auia: proauus, proauia: & qui
ſupra hos ſunt. Liberi ſunt, qui ex nobis naſcuntur: filius, filia: ne-
17 pos, neptis: pronepos, proneptis: & qui infra hos ſunt. ❡ Ex † la-
tere autem veniunt, qui neque nos genuere, neque a nobis gi-
gnuntur: ſed eandem ſtirpem, & radicem nobiſcum communem
habent: veluti frater, ſoror, patruus, vel auunculus, amita, vel ma-
18 tertera, & qui ex illis naſcuntur. ❡ Porro † cognatio hæc, quæ ex
latere venit, in duas ſpecies diuiſa eſt, in agnatos, & cognatos. Et
agnati quidem ſunt, vt diximus, qui per virilem ſexum coniun-
guntur, veluti frater eodem patre genitus, & liberi eius: item ma-
tertera, & liberi eius: deinde & amita. Cognati vero ſunt, qui per
fœminam nos contingunt, vt ſoror eadem matre tantum genita,
ac liberi eius, *d.l.Iuriſconſultus, §.cognationis, §.1. de legit. agnat. tut.*
*§.1. de legit. agna. ſucceſſ.* item matertera, & liberi eius: tum & ami-
19 tæ liberi. ❡ Quæ † tamen differentia hodie ſublata eſt, & cogna-
ti omnes dicuntur æqualis iuris, ſublata obſeruatione agnationis.
§.1. *de hered. ab inteſt. venient. in auth. coll. 9.*

20 ❡ In † figuratione, ſeu demonſtratione iſtarum cognationum,
Iuriſconſ. vtuntur duabus lineis ad punctum ſeſe interſecantibus
in crucis modum, †, vbi ſe interſecant: pono ego ſtirpem, vel v-
num hominem ſeu punctum & centrum, ex quo aſcendentes, de-
ſcendentes, & collaterales numeres, & eorum ſchemata: Sic enim
me docuit Paulus, dum ait, *l.ſtemmata cognationum, 9. de grad. af-*
*fini. Stemmata cognationum directo limite in duas lineas ſeparantur,*
*quarum altera ſuperior, altera inferior eſt: ex ſuperiore vero & ſe-*
*cundo gradu tranſuerſæ lineæ pendent.*

21 ❡ Stemmata † cognationum idem ſunt ac ſchemata, orna-
menta videlicet & imagines perſonarum, qui numerantur a ſtir-
pe, ſeu ab aliquo, veluti a puncto & centro, vt apud Iuuenalem,
*Satyr. 8.*

*Stemmata quid faciunt? quid prodeſt Pontice longo*
*Sanguine cenſeri, pictosq; oſtendere vultus*
*Maiorum, & ſtantes in curribus Æmilianos?*
*Et Curios iam dimidios, naſumque minorem*
*Coruini, & Galbam auriculis naſoq; carentem?*
*Quis fructus generis tabula iactare capaci*
*Fumoſos equitum cum dictatore magiſtros,*
*Si coram Lepidis male viuitur; effigies quo*
*Tot bellatorum, ſi luditur alea pernox?*

Et Perſius *Satyr. 3.*

*—— an liceat pulmonem rumpere ventis,*
*Stemmate quod Thuſco ramum milleſime ducis.*

Et in illis cognationem eſſe numerandam docet etiam Ouidius,
*in epiſtol. 11.*

*Quid iuuat admotam per auorum nomina cœlo,*
*Inter cognatos poſſe referre Iouem?*

Sic ſtemmata ſunt coronæ, vel cellulæ orbiculatæ in tabula, vt i-
magines olim erant in forulis vel armariis, per lineas ordinem &
ſeriem generis alicuius & familiæ referentes: vnde pro illa deſcri-
ptione ordinata ſucceſſiua ſtemma etiam apud Græcos vſurpatur,
vt apud Plutarchum, *in vita Numæ, in princ.* καίπερ ἐξ ἀρχῆς εἰς τοῦ-
τον κατάγεσθαι τῶν στεμμάτων ἀκριβῶς δοκούντων, id eſt, *quanquam ge-*
*neris ſeries ab initio ad eum vſque exacte deduci videatur.* Sic Pli-
nius, *lib. 35. cap. 2. expreſſi,* inquit, *cera vultus, ſingulis diſponeban-*
*tur armariis, vt eſſent imagines, quæ comitarentur gentilitia fune-*
*ra, ſemperque defuncto aliquo, totus aderat familia eius, qui vnquam*
*fuerat populus. Stemmata vero lineis diſcurrebant ad imagines pi-*
22 *ctas.* ❡ Ceterum, † quia in iſta diuiſione linearum ſunt ſuperiores
& inferiores, & a latere ſingulares, priores antiquiores, & iunio-
res perſonæ: recte dicemus, retenta metonymia aſcenſus & de-
ſcenſus, & gradus quoque, quibus aſcendamus, vel deſcendamus,
& ad latera moueamur ordine, confingi. *Gradus,* inquit Paulus,
*l.Iuriſconſultus, 10. § gradus, de grad. affinit. P.* dicti ſunt ad ſimili-
tudinem ſcalarum, locorumque procliuium, quos ita ingredi-
mur, vt a proximo in proximum, id eſt, in eum, qui quaſi ex eo
naſcitur, tranſeamus.

23 ❡ Et † ſuperior quidem & inferior cognatio, iure ciuili a pri-
mo gradu incipit: at ea quæ ex tranſuerſo numeratur, a ſecundo
incipit. §.*quare, de grad. cogna. l.2. de grad. affin. P.* Quia ex tranſ-
24 uerſo, ſiue a latere nullus eſt primus gradus. ❡ Ratione † gra-
duum, linea collateralis diuiditur in duas, in æqualem & in inæ-
qualem. *Æqualis,* quando gradus æqualiter diſtant a communi
ſtipite ſeu centrica perſona, quam antiqui vocant Petruciam. *In-*
*æqualis,* quando inæqualiter diſtant, videlicet longius alter gra-
dus abeſt a communi & centrica perſona, quam alius. ❡ In † nu- 25
merandi calculo, alius modus iuris ciuilis, alius iuris canonici:
quia horum diuerſi fines, ad quos ſtemmata ordinant. *ca. ad ſe-*
*dem Apoſtolicam, 35. quæſt. 5.* Vnde & quos vocant gradus iuris ci-
uilis auctores, canones vocant generationes. In iure ciuili tot
ſunt gradus inter conſanguineos, quot ſunt perſonæ ad propaga-
tionem neceſſariæ, vna demta: vna porro demitur, quia ad pri-
mum gradum eſt opus duabus perſonis, & deinde quælibet per-
ſona addita perſonæ facit vnum gradum. Exemplum in linea a-
ſcendentium, centrica perſona & pater ſunt in primo gradu, cen-
trica & auus ſunt in ſecundo: quia tres ſunt perſonæ, centrica, pa-
ter, auus. Ex quibus ſi centricam adimas, erunt tantum duæ: duo
ergo gradus. Exemplum in linea deſcendentium, centrica perſo-
na & filius eius, ſunt in primo gradu: centrica & nepos, in ſecun-
do: centrica & pronepos, in tertio: quia ſunt quatuor perſonæ:
deme vnam perſonam, reſiduæ erunt tres perſonæ, & ita tres gra-
dus. Tertium exemplum in linea collaterali, primum, quando
æqualis eſt: videlicet quando æquali gradu perſonæ, de quibus
quæritur, diſtant a communi centrica. Illa centrica cum fratre eſt
in ſecundo gradu, quia ſunt tres perſonæ, centrica, pater, & frater,
centrica cum filio patrui, in quarto: quia ſunt quinque perſonæ
computatis intermediis, nempe centrica, pater, auus, patruus, a
quo deſcendit eius filius: tolle vnam, & ſupererunt quatuor quo-
que gradus. Exemplum quartum in linea inæquali, centrica per-
ſona, & filius fratris, ſunt in tertio gradu, quia ſunt quatuor perſo-
næ inibi: centrica, pater, frater, & filius fratris, quarum vna de-
mta, reſtant tres. Igitur in tertio gradu idipſum experieris in iis,
qui ſunt in linea materna, veluti centrica perſona cum ſua ſorore
in ſecundo gradu eſt, cum filia ſororis in tertio, centrica cum a-
uunculo, in tertio: quia ſunt quatuor perſonæ, centrica, mater, a-
uia, & auunculus. Nec refert cuius ſexus ſunt perſonæ, cum quib.
fit collatio, vel quæ intermediæ ſunt. Minus etiam inſpicimus an
mediæ ſint in rerum natura, an vero mortuæ ſint: an ſint natura-
les & legitimæ ſimul, vel naturales tantũ, *Scæuola, in l. & nihil in-*
*tereſt, 54. de rit. nupt. lib. 24. P. titu. 2.* vel ſit ſtatus ſeruilis vel inge-
nuus in illis. *Paul. in l.adoptiuus, 14. § ſeruitus, eod. titul.* Etenim na-
turalem cauſſam hic obſeruamus ſanguinis, & fluuium generan-
di ſequimur, ratione videlicet ſingularium perſonarum, a quibus
ad proximos gradus fit tranſitus. Sic quoque numerant Iuriſcon-
ſulti, *in l. 1. 2. & 3. de grad. affini. Iuſtinia. in* §. 1. 2. 3. 4. 5. 6. *de gradib.*
*cognat. c. primo gradu, 35. q. 5. l.Iuriſconſultus, 10. §. nunc ſingulos, de*
*grad. affinit. in P.* In linea perpendiculari a centrica perſona, vt
primo gradu ſint ſupra, pater, mater: infra, filius, filia. Secundo
ſupra, auus, auia: infra, nepos, neptis: ex tranſuerſo, frater, ſoror.
Tertio gradu ſint ſupra proauus, proauia: infra pronepos, prone-
ptis: ex tranſuerſo, fratris ſororiſq; filius, & filia: conuenienter &
patruus, amita, auunculus, matertera. Quarto gradu ſint ſupra, ab-
auus, abauia: infra, abnepos, abneptis: ex tranſuerſo, fratris, ſoro-
riſq; nepos, neptis: & cõuenienter patruus magnus, amita magna,
id eſt, aui frater & ſoror: itẽ fratres patrueles, ſororesq; patrueles,
id eſt, qui quæve ex duobus fratrib. propagantur: item conſobri-
ni, conſobrinæ, id eſt, qui quæve ex duabus ſororibus naſcuntur,
quaſi conſororini: item amitini, amitinæ, id eſt, qui quæve ex fra-
tre & ſorore propagantur. Sed vulgus fere omnes iſtos communi
appellatione cõſobrinos vocat. Quinto gradu ſunt ſupra, atauus,
atauia: infra, atnepos, atneptis: ex tranſuerſo, fratris & ſororis pro-
nepos, proneptis: & cõuenienter, propatruus & proamita, id eſt,
proaui frater & ſoror: itẽ fratris patruelis, ſororis patruelis filius,
filia: & ſimiliter conſobrini, conſobrinæ, amitini, amitinæ fi-
lius, filia: proprius ſobrino, proprius ſobrina. Iſti ſunt patrui ma-
gni, amitæ magnæ, auunculi magni, auunculæ magnæ filius, filia,
hoc eſt, *l.2. eod. P.* patris, matrisve eius, de cuius cognatione quæ-
ritur, conſobrinus, conſobrina, ſiue pater patruelis, vel amiti-
mus, ſoror patruelis, vel amitima. Sexto gradu, *l.3. eod. de grad. af-*
*fin.* ſunt ſupra, tritauus, tritauia: infra, trinepos, trineptis: ex tranſ-
uerſo fratris & ſororis abnepos, abneptis: & conuenienter abpa-
truus, ab amita, id eſt, abaui frater, & ſoror: abauunculus, abmater-
tera, id eſt, abauiæ frater, & ſoror: itẽ patrui magni, amitæ magnæ,
auũculi magni, materteræ magnæ nepos, neptis: itẽ fratris patrue-
lis, ſororis patruelis cõſobrini, conſobrinæ, amitimi, amitimæ, ne-
pos, neptis, itẽ ꝓpatrui, ꝓamitę, ꝓauũculi, ꝓmaterteræ filius, filia.
Qui vero ex fratrib. patruelib. aut cõſobrinis, aut amitimis vndiq;

propagantur, ii proprie ſobrini dicuntur. In ſeptimo autem gradu, quam multæ eſſe poſſint perſonæ, ex his quæ diximus, ſatis apparet: duplicatis parentum, liberorumque perſonis. Quæ volui enumerare iiſdem verbis, quibus vtuntur Iuriſconſulti, quod in illis & nomina perſonarum, & gradus recte explicentur, vt luculentius tradi non poſſint.

26 ¶ Verum † obſeruandum eſt, tantum Iuriſconſultos vſque ad ſextum gradum perſonas enumeraſſe vtriuſque lineæ, & directæ, & tranſuerſę: nam vltra difficile fere eſt omnes eos numerare, qui ex genere ſunt. Et natura vltra ſextũ gradum conſiſtere cognationem vix patitur, *l. non facile, 4. de gradib. agnat.* propter nimium diffuſam propagationem, quæ ſanguinis ſubſtantiam communẽ primam diſſoluiſſe videtur: non ſecus, ac *fons* per longas peregrinationes in mare deſcendens, elongatus a capite, eo minus retinet ſubſtantiæ primæ originis, quo longius ab ea diſcedit, terrarum, quas alluit, immutatus naturis. Et ita conſanguinitas paulatim, dum ſæpe propaginem ordinibus dirimit, vſque ad vltimum gradum ſe ſubtrahit, & propinquitas eſſe deſinit. *c. 1. 15. q. 4. c. primo gradu, §. ſucceſſionis. 35. q. 5.* Addit Iſidorus rationem, *lib. 11. Etymologia. c. 6. d. cap. 1. 35. q. 5.* ſeptimo gradu finiri conſanguinitatis computationem, ſicuti ſex ætatibus mundi, generatio & hominis ſtatus finitur, ita propinquitas generis, tot gradibus terminatur. Poſſem hic alia quæ de generatione traduntur hominis adferre, quod *ſeptimo die* ſemen in vtero matris conglobatur, fitque ad capiendam formam idoneum: & ante *ſeptimum menſem* editus partus viuere nequit: poſt partum an victurus ſit infans, *ſeptima hora* decernit. A ſeptimo die nomina infantibus olim impoſita, tanquam ſaluti vitæ tunc fidendum ſit, pluribus ante diem ſeptimum pereuntibus. Poſt ſeptimum menſem, fiunt dentitiones: poſt annos ſeptem, primi dentes cadunt, infans loquitur plene. Annis bis ſeptenis pubeſcunt. Venæ, ſeu arteriæ mouentur numero ſeptenario. Morborum pericula diſcriminat *ſeptenarius criticus decretorius.* Poſſem & alia de ſeptima generatione, & ſeptenario numero tradere: ſed hæc nos ab vtilioribus remoratentur,
27 tur, ideo pertranſeo. ¶ Et † noto, vltra ſeptimum gradum aliquoties extendi conſanguinitatis conſiderationem, in ſucceſſionibus iure proximitatis deuoluendis, videlicet ad decimum vſq;, *§. hoc loco, de ſucceſſ. cogna. lib. 3. Inſtit. titu. 5. can. ad ſedem, §. hi vero euigilent, 35. q. 5.* & hæc in iure ciuili ſeruanda ſunt.

28 ¶ At † in iure Pontificio paulo aliter gradus numeramus, videlicet per generationes. *can. quædam, can. contradicimus, 35. q. 3. can. parentelæ 35. q. 5.* Quomodo autẽ numerentur iſtę generationes & gradus, conſtituamus methodum oportet ex tribus axiomatibus. Primum, in linea recta ſeu perpendiculari aſcendentium videlicet & deſcendentium, tot ſunt gradus, quot ſunt perſonæ, vna demta, centrica videlicet, vt in iure ciuili dictum eſt, cum quo hæc concordat. Et proinde centrica cum patre, erit in primo gradu: cum auo, in ſecundo: & ſic in aliis, ordine graduum conſeruato. Alterum axioma ad collaterales in linea æquali pertinet, vt quoto gradu aliqui diſtant a communi ſeu centrica perſona, tantum diſtent a ſe. *c. quod dilecti, c. fin. de conſanguin. & affin.* Tertium in linea inæquali collaterali, quoto gradu remotior diſtat a communi ſtipite, eo diſtinguũtur collatæ perſonæ, de quibus agitur inter ſe. *d. c. fin.*

29 ¶ Conueniunt † ius ciuile & Pontificium, in numerandis perſonis rectæ lineæ, quia vtrunque habet prohibitionem nuptiarum inter has perſonas vſque in infinitum. *l. nuptiæ, 2. de rit. nupt.*
30 *in P. §. inter eas enim, de nupt. ap. Iuſtin.* ¶ Non † ita in collateralibus: nam iura ciuilia a Pontificiis diſſident, & ideo ſequimur ius canonicum in his. *c. non debet, de conſangui. & affinit.* Et aliter numeramus iure canonico in nuptiis gradus, reiecta ſucceſſione ad gradus ciuiles. *can. ad ſedem, 35. q. 5.* Et quia nuptiæ ſine duabus perſonis eſſe non poſſunt. Sic duo gradus legales vnum canonicum faciunt. Fratres itaque, qui ſecundum leges ſeculares dicuntur in ſecundo gradu, iuxta canones numerantur in primo: filii fratrum, qui illic numerantur in quarto, hic computantur in ſecundo: nepotes vero, qui in ſexto ibi, iſtic numerantur in tertio: Sic deinceps qui legibus inſcribuntur in octauo & decimo, in canonibus definiuntur quarto, & quinto: atque de reliquis ſentiendum eſt, vt qui ſecundum canones dicuntur in ſexto vel ſeptimo, ſecundum leges accipiuntur in duodecimo, vel decimoquarto. *hæc in d. c. ad ſedem, §. ſed vt veridicæ.* Et Zacharias Papa explicat, *can. parentelæ, 35. quæſt. 5. Parentelæ gradus,* inquit, *taliter computamus, ſiquidem ego & frater meus vna generatio ſumus, primumque gradum efficimus, nullo gradu diſtamus. Rurſus filius meus fratriſque mei filius ſecunda generatio ſunt, ac gradum ſecundum faciunt, nec a ſe aliquo gradu ſeparantur: atque ad hunc modum ceteræ ſucceſſiones ſunt habendæ.*

## De Affinitate. Cap. 10.

1 *Affines qui.*
2 *Affinitatis gradus multi proprii, ſed naturalis cognationis gradus imitantur.*
3 *Affinitas nulla inter coniuges, ſed principium affinitatis.*
4 *Affinium perſonarum & graduum nomina, ſocer, gener, vnde nomen priuignus, vitricus, nouerca.*
5 *Affinitas iure ciuili tantum contrahitur ex cõiunctione legitima, iure Pontificio ex naturali etiam illegitima.*
6 *Ex ſponſalibus non naſcitur affinitas, ſed proximitas publicæ honeſtatis.*
7 *Affinitas duplex, primi & ſecundi generis.*
8 *Affinitatis & publicæ honeſtatis gradus in nuptiis iure Pontificio conſiderati.*
9 *Gradus in cognatione ſpirituali, qui impediunt matrimonium, & quomodo numerandi.*
10 *Compaternitas duplex, directa & obliqua.*
11 *Vtilitas tractationis conſanguinitatis & affinitatis, in quibus locum habeat,*

AFFINES ſunt viri † & vxoris cognati, dicti ab eo, quod duæ 1
cognationes, quæ diuerſæ inter ſe ſunt, per nuptias copulantur, & altera ad alterius cognationis finem accedit: Namque coniungendæ affinitatis cauſſa fit ex nuptiis. *l. non facile, §. 4. affines, de grad. affin. P.* ¶ Gradus † affinitas per ſe non habet, *d. §. affines,* 2
*verſic. gradus.* reſpectu autem cognationis naturalis in coniunctione matrimonii contracta affinitate, affinitas gradus cognationis imitatur, vnde & gradus affinium recte dici poſſunt. *l. Iuriſconſultus, 10. de grad. affin. P.* ¶ Inter † coniuges nulla quidem 3
affinitas eſt, *l. non ideo, C. de hered. inſtituen.* ſed a matrimonio eorum initium affinitatis.

¶ Nomina † affinium enumerantur & explicantur a Mode- 4
ſtino. *in l. 4. §. affines, de grad. affinita.* Socer, id eſt, viri pater, vxoriſque, ita dictus, quia generum ſibi ſociauit: mater vero eorum *ſocrus* appellatur. Apud Græcos proprie viri pater ἑκυρὸς, mater vero ἑκυρὰ: vxoris autem πενθερὸς, pater, mater autem πενθερὰ vocatur, inquit Modeſtinus. Scholiaſtes autem Homeri *in Iliad.* ω *&* χ. duo ſuperiora nomina antiquiora putat. *Gener* vero a genere, quod ad augendum genus adhibetur maritus filiæ. *Nurus* filii vxor. Socer itaque vxoris meæ eſt pater, ego illi ſum gener: *ſocer magnus,* dicitur vxoris meæ auus, ego ſum illius *progener:* & retro pater meus vxori meæ ſocer eſt, hęc illi nurus: & auus meus ſocer magnus eſt, illa *pronurus* illi: item ſocrus mihi vxoris meæ mater eſt, ego illius ſum gener: & *proſocrus* mihi, vxoris meæ auia eſt, & ego illius ſum progener: & retro mater mea, vxoris meæ ſocrus eſt, illa huic nurus: & auia mea, ſocrus magna eſt, vxor mea illi pronurus. *Priuignus,* eſt vxoris meæ filius, ex alio patre, quam ex me natus, ego illi *vitricus:* & in contrarium vxor mea liberis, quos ex alia vxore habeo, *nouerca* dicitur: liberi mei illi priuigni ſunt. Priuignus πρόγονος, id eſt, *prænatus,* quod antequam mater ſecũdo nuberet, eſt *progenitus.* Vitricus πατρωός. Nouerca μητρυιά. Viri frater, *leuir,* Græcis δαήρ. Viri ſoror, *glos,* a Græco nomine γάλως. Duorum fratrum vxores, εἰνάτερες, quidam dicunt *ianitrices.*

¶ Iure † ciuili tantum contrahitur affinitas ex coniunctione 5
legitimarum nuptiarum, non alio modo, neque ex nuptiis interdictis. *l. 4. §. ſciendum eſt, de grad. affi.* Iure canonico affinitas contrahitur non ex nuptiis ſolum, ſed ex quacunque coniunctione naturali ſeu copula viri & mulieris, inter cognitam & conſanguineos cognoſcentis, inter cognoſcentem & cõſanguineos cognitæ. *c. diſcretionem, & c. penult. de eo qui cogno. conſangui. vxor. ſuæ.*
¶ In † ſponſalibus autem legitime contractis, non quidem naſci- 6
tur affinitas, quæ a coniunctione oritur, ſed ſpecies proximitatis, quæ dicitur naſci ex publica honeſtate, *ca. ſponſam, de ſponſal. ap. Greg.* quæ contrahitur non inter ſponſos, quia ſunt principium proximitatis huius, ſed inter ſponſum & conſanguineos ſponſæ, & inter ſponſam & conſanguineos ſponſi. Non ſolum ſi contrahantur ſponſalia per verba de præſenti, ſed etiam ſi per verba de futuro, vel inter impuberes, *d. c. ſponſam, de ſponſ.* non enim ex ſponſalibus, etiam ſi ſint contracta per verba de præſenti, naſcitur ſine coniunctione affinitas. *Panorm. in d. c. ſponſam.* In quo corrigitur ius ciuile a iure Pontificio, quod ſequimur. *cle. diſpendioſam,*

*de indic.* Sed contrahitur tantum publica honeſtas. Contrahitur etiam ex ſpõſalibus publica honeſtas, licet ſponſalia, alioquin pura & certa, nulla ſint propter aliquod impedimentum. *ca.* 1. *de ſponſal. in 6.* Declarata namque fuit voluntas contrahentium ex actu alioquin inualido, quem efficere conati ſunt. *arg. l. fin. de reb. eorum.* Et in his publica honeſtas ab affinitate diſtinguitur, quamuis aliquando, & hæc nomina confundantur, *d. c. diſcretionem, & c. pen. de eo qui cogno. conſang. vxor. ſua.* cum in affinitate ſit publica honeſtas, quamuis in omni publica honeſtate non ſit affinitas.

7 ¶ Affinitas † duplex, primi & ſecundi generis: primi generis, ex coniunctione viri & mulieris naſcitur: ſecundi generis, quando conſanguineis affinibus alii alia affinitate iunguntur, alia ſecunda copulatione, exempla poſtea docebunt.

8 ¶ Iure † canonico in affinitate & publica honeſtate, gradus cõſiderari certum eſt, etſi iure ciuili aliud ſeruari diximus Itaq; per carnis copulam viri & mulieris, inter virum & cõſanguineas mulieris: item inter mulieré & conſanguineas viri, cõtrahitur affinitas primi generis, in eo gradu, quo eſt conſanguinitas, non aũt inter conſanguineos viri, & cõſanguineos mulieris contrahitur. *c. quod ſuper his, de conſanguin. & affinit. §. mariti, de nupti.* Ideo frater viri recte matrimonium contrahit cum ſorore vxoris fratris, aut cum alia eius conſanguinea: nam hic tantum affinitatis ius conſiderat primum genus ex prima maris & fœminę coniunctione, non ſecundum genus. Vt ſi affinis alteri iungatur affini, vt ſi frater tuæ vxoris, qui eſt tibi affinis in primo gradu & in primo genere, iungatur cum ſua vxore, quæ erit tibi quoque affinis, ſed in ſecundo genere, quod non habet prohibitionem, *c. non debet, de conſanguin. & affinit.* nam & mortua tua vxore & fratre eius, potes vxorem fratris vxoris ducere. Conſidera rurſum, nos dicere affinitatis gradus primi generis computandos eſſe, habita ratione eorum qui quæve coniunguntur: ideo cum his computamus gradus, non inter affines ſimpliciter. Veluti voca coniunctum copula Titium, & coniunctã Semproniam: ſoror Semproniæ eſt in eodem gradu cum Titio, & Titius eſt in ſecundo gradu affinitatis cum filia ſororis Semproniæ, & cum nepte eius in tertio: & ſic conſequenter numera gradus affinitatis Titii, cũ gradibus conſanguinitatis Semproniæ: & contra gradus affinitatis Semproniæ numera cum gradibus conſanguinitatis Titii. *Probantur hæc in can. porro, 35. q. 5.* Ad iſtos autem pertinent potius gradus, quam ad alios affines: quia vxor & maritus, & alii qui copulantur, ſunt duo in carne vna, *d. can. porro, ca. 2. Geneſeos, ca. debitum, de bigam.* quod & de adhærentibus meretricibus dixit D. Paulus 1. *ad Corinth. 6.* Pro gradibus publicæ honeſtatis eadem, quæ in affinitate, obſeruanda: vt per ſponſalia per verba de futuro, aut de præſenti, contracta inter ſponſum & conſanguineas ſponſæ, item inter ſponſam & conſanguineas ſponſi contrahatur publica honeſtas primi generis in eo gradu, quo eſt conſanguinitas. *Panor. in c. iuuenis, de ſponſal.*

9 ¶ In † cognitione ſpirituali duo ſunt tantum gradus conſiderandi, ad miniſtrorum regenerantium, & regeneratorum Deo: vocant iura *compaternitatem, commaternitatem, & confraternitatem. in c. vltim. de cognat. ſpiritual.* Appellatio quælibet ſatis indicat duas perſonas adeſſe ſingulis nominibus. In compaternitate duo patres, naturalis, & luſtralis cum patre luſtrali ratione baptiſmi: aut habita ratione ſexus duo pater & mater luſtrici, ideo cõpatres, id eſt, ſimul patres. In commaternitate duæ matres baptizati. In confraternitate baptizata, & filii patrum aut matrum luſtralium, ſeu ſpiritualium: idem de ſororibus dicendum, ſi fœminini ſexus baptizatus ſit, quæ *conſoror* erit cum filia naturali patris luſtralis. Soror enim & fratris appellatione continetur. *l. tres fratres, de tranſact. in P.* Iſtæ omnes conſanguinitatis ſpecies referuntur ad baptizatum, id eſt, eius cauſſa ſunt compatres, commatres, & confratres. Sed & habent relationem quoque ad alias perſonas baptizati, vt ad patrem, matrem, & fratrem naturalem. *c. 1. de cogna ſpirit. lib. 6.* Et proprie pater luſtralis, cum matre naturali compater eſt: mater luſtralis, cum matre naturali baptizati commater eſt. At inter patrem luſtricum & matrem luſtricam, non eſt proprie compaternitas, licet ambo ſint patres, & ideo inter eos poteſt eſſe matrimonium.
10 ¶ Compaternitas † duplex eſt, directa & obliqua: veluti diximus affinitatem primi, & ſecundi generis. Compaternitas eſt directa, eius qui filium alterius ſuſcipit in baptiſmo cum patre naturali baptizati. *ca. ita, 30. quæſt. 3.* Obliqua vel ex prima orta, cum ſola vxor ſuſcipit a baptiſmo, cuius vir & compater dicitur. *can. ſi quis ex vno, 30. q. 4.* Ita pater naturalis baptizati, eſt compater non ſolum cum patre luſtrali, ſed etiam cum eius vxore. Ita & mater naturalis non ſolum commater eſt cum matrima, ſed etiam cum eius viro, *capit. Martinus, de cognat. ſpirit.* ſunt enim illi duo pro vna carne. *c. 2. Geneſ.* De horum conſanguinitate ſic ſtatuit nouiſſime Concilium Tridentinum; *Seſſio. 8. ca. 2. reformatio. Vnus tantum, ſiue vir ſiue mulier, vel ad ſummum vnus & vna baptizatum de baptiſmo ſuſcipiant, inter quos & baptizatum ipſum, & illius patrem ac matrem tantum, ſpiritalis cognatio contrahatur, &c.* Ea quoque cognatio, quæ ex confirmatione contrahitur, confirmantem & confirmatum, illiuſque patrem & matrem, ac tenentem non egrediatur.

¶ Et † hæc quæ de conſanguinitate & affinitate dicta ſunt, & 11
perſonis earum, ſummopere notanda ſunt: cum apud Iuriſconſultos crebro de his recordari oporteat, & vtilis eius ſit cognitio, vt in contractuum, & ſucceſſionum, & iudiciorum quæſtionibus, in quæſtione redhibitionis gentilitiæ, dum proximior admittitur & præfertur in redhibitione, *vt in ca. conſtitutus, de reſtituti. in integrum.* Si agatur de deferenda ſucceſſione inteſtatorum, quo ad proximiores deuoluitur, *l. Iuriſconſultus, 10. de grad. affini. §. ſi vero, de hered. ab inteſt. veni. colla. 9. in authent.* vel ſi quæſtio de tutela legitima, quæ proximiorem ſequitur agnatum vel cognatum, *§. 1. de legitim. agnat. ſucce. d. l. Iuriſconſultus.* vel de deferenda bonorum ſucceſſione, vel diuidenda ea per capita, aut in ſtirpes, *l. 1. § gradatim. vnde cogn. cum ſimilib.* vel de vocando proximiore in bonis reſeruatis familiæ, vbi quæritur propinquior, *l. peto, §. fin. de lega. 2.* vel ſi agatur de expellendo a teſtimonio propinquo, *l. lege Iulia, de teſti. in P.* in feudis & aliis: Si agatur de nuptiis legitimis, inter quos poſſint eſſe, prohibitæve ſint. *c. non debet, de conſangu. & affini. tota. 30. q. 2. 3. 4. 5.* Quo de capite paulo vberius nunc dicendum eſt.

## De Prohibitione nuptiarum ratione conſanguinitatis & proximitatis.

### Cap. II.

1 *Matrimonium prohibitum inter aſcendentes & deſcendentes vſque ad infinitum.*
*Inter collaterales vſq; ad certum gradum.*
2 *Nuptiæ inceſtæ inter conſanguineos, &* inceſtus, *vnde &* ceſtus *quid.*
3 *Nefariæ & inceſtæ nuptiæ inter aſcendentes & deſcendentes.*
4 *Pœna aduerſus contrahentes inceſtas nuptias.*
5 *Perſæ miſcebantur illorum lege, etiam cum matribus, & contrahebant nuptias.*
6 *Semiramis legem tulit, licere & cum maribus & aliis conſanguineis nuptias contrahere.*
7 *Oedipodis calamitas ob matrem vxorem ductam, etiam ignorantia.*
8 *Climineus filiam Harpalycem vxorem duxit, & mala inde conſecuta.*
9 *Periandri & matris eius concubitus vindicta diuina.*
10 *Inceſtuoſi alii Principes, & monſtra humanæ naturæ.*
11 *Fratris & ſororis nuptiæ apud quos fuerunt permiſſæ.*
12 *Moſes iuſſit proximis nubere mulieres, lex eadem Athenienſibus.*
13 *Lex de non ducenda vxore, ſorore, vel filia ſororis, & pronepte.*
14 *Duorum fratrum filii & filiæ num coniungi matrimonio poſſunt.*
*Gradus prohibitionis nuptiarum.*
15 *Gradus nubendi conſanguineorum vſq; ad ſeptimum.*
16 *Salica lex de proximorum coniunctione.*
17 *Impedimenta legalis coniunctionis.*
18 *Impedimenta inter conſanguineos ſpirituales cuius ſint gradus, ratione baptiſmi, & confirmationis.*
19 *Cognatio pœnitentiæ ſeu confeſſionis non egreditur perſonas confitentium.*
20 *Nuptiæ quo gradu affinitatis prohibentur.*
21 *In gradibus nuptiarum prohibitarum computandis affinibus variatum quomodo eſt.*
*Frater fratri ſuſcitabat prolem, iure Moſaico, quod correctum eſt.*
*Domus excalceati quid.*
22 *Affinitas primi generis prohibet nuptias, non ſecundi.*

23 *In gradibus prohibitis diſpenſat ſummus pontifex ſolus, & poteſta-
tem nubendi dat, in certis tamen, non in omnibus.*

1 HIs præcognitis, dicimus nuptias ratione conſanguinitatis, &
cognationis prohiberi inter aſcendentes quidem & deſcen-
dentes gradus lineæ rectæ, vt inter patrem & filiam, auum & ne-
ptem, matrem & filium, auiam & nepotem, & vſque in infinitum,
*Caius, l. nuptiæ, 53. & l. fin. de rit. nupt. lib. 23. P. §. ergo non omnes, de
nup. Diocle. & Max. l. nemini, 17. de nupt. lib. 5. C. tit. 4. §. fi. quib. mo.
in authen. col.* 7. inter collaterales autem, vſque ad certos gradu-
um limites, *tot. tit. de inceſt. nupt. lib. 5. C. tit. 5. l. fin. ſi nupt. ex reſcr.*
2 *peta. lib. 5. C. tit. 8. Paul. l. inceſtæ, 52. de rit. nupt.* ¶ Dicunturque † hæ
coniunctiones vnico nomine inceſtæ, *prædictis iuribus*, quaſi non
caſtæ ſecundum Nonium: vel non Venere iuſta initiatæ. *Ceſtum*
enim ſeu cingulum veneris, dicebant annorum legitimorum ini-
tium, vt ait Angel. Politianus, *Miſcella. c.* 11. vel quod *zona*, quas
virgines ſolebant deferre, quæ ſoluebantur a maritis, iuſte ſolutæ
non eſſent, indicat Ouidius, *in epiſt.*

*Cui mea virginitas auibus libata ſiniſtris.*
*Caſtaq; fallaci zona reuincta manu.*

Poſſuntque dici omnes nuptiæ, quæ legitimæ non ſunt, inceſtæ:
vt notat gloſſa ad rubricam de inceſt. nupt. C. Sed & expreſſe id
reſpondit Paulus Iuriſconſultus, *l. ſororis proneptem, 39. de rit. nup.*
3 *in P.* ¶ Nefarias † quoq; dicere poſſumus & inceſtas inter aſcen-
dentes & deſcendentes initas, vt nefaria coniunctio dicitur ab
Vlpiano, *l. 1. de concubi. lib. 25. P. tit. 7. §. ergo non omnes, verſic. et ſi
tales, de nupt. apud Iuſtin.* eius, qui in concubinatu patris fuit, de-
inde in filii eſſe cœperit, vel nepotis, vel cōtra: Eius generis, ince-
ſtuoſæque dici poſſunt, quæ cum priuigna, nuru, nouercaque fi-
unt, *Papin. l. ſi adulterium cum inceſtu, 38. ad l. Iul. de adult. lib. 48.
P. tit. 5.* pari modo prohibitæ: prohibent iura diuina concubitum
cum matre & nouerca.

4 ¶ Pœna, † iure ciuili, aduerſus has inceſtas & nefarias, conſti-
tutæ graues, *authen. inceſtas nuptias, & authen. ex complexu, de in-
ceſtis nupt. C. §. 1. de inceſt. & neſa. nup in auth. colla. 4. conſti. fin. §. fin.
quib. mod. nat. effi. ſui, collat. 7. conſt.* 1. Bonorum in ærarium ſeu fi-
ſcum relatio, dotis quoque, exſilium, verberatio. Soluuntur &
hæ coniunctiones iure pontificio, verum non niſi cum auctori-
tate eccleſiæ, Epiſcopi ſcilicet, inquiſitione proximitatis facta:
alioquin non licet abire ab eo contracto matrimonio, *ca. 3. de ad-
ult. lib. 4. Decretal. tit. 19. can. ſeculares, 33. quæſt. 2. c. multorum, 35.
quæſt. 6.* Sed & iure eodem nuptiæ inceſtæ dirimuntur, & ſcien-
ter contrahentes, ne nubant aliis prohibentur, ex concilio Ma-
guntinenſi, & aliis ſanctionibus, ca. ſi quis, ca. qui dormierit, ca.
concubuiſſe, & ſeq. 32. q. 7. Prohibitæ & iure ciuili etiam in per-
ſonis ſeruilibus, vtpote naturali cauſſa inſpecta, vt ait Paul. Iuriſ-
conſ. *l. adoptiuis, 14. § ſeruiles, de ritu nupt. in P.* qui in vulgo quæ-
ſitis idem ſtatuit, & fornicatione coniunctis, *c. nec eam, 35. quæſt.*
2. Item & in perſonis per adoptionem coniunctis iiſdem gradi-
bus Caius reſpondit, *in l. quin etiam, 55. de rit. nupt. P. §. 2. de nupt.*
5 *apud Iuſtinia.* ¶ Inuenimus † tamen ius aliquando fuiſſe apud
Perſas miſceri cum matribus, teſte Arnobio, *lib.* 8. *aduerſ. gent.*
& Philone Iudæo, *de ſecular. legib c. contra mœchos*, qui ita cenſu-
ram promit, *Honoratiores Perſæ cum matribus contrahunt matri-
monia, & natos inde arbitantur nobiliſſimos, regioque, vt ferunt, di-
gnantur ſolio: quo nihil magis impium excogitari poteſt, conſpurcari
defuncti patris thalamum, cui maxima debebatur religio, matri nul-
lam exhiberi reuerentiam, filium eundem, & maritum fieri, matrem*
6 *viciſſim vxoris nomen aſſumere*, &c. ¶ Tulit † legem aliquando Se-
miramis regina, vt flagitium tegeret cum filio ſuo Nino commiſ-
ſum: vt nulla diſcretione habita ſanguinis, liceret cum matribus
& conſanguineis coniungi nuptiis, vt ſcribit Oroſius, *lib. 1. cap. 4.*
Ob factum tamen ſuum illa poſtea miſere occubuit. ¶ Accidit
7 † tam ſceleſte facinus inter priſcos Thebis Oedipodi Laii filio,
non ſponte tamen, ſed per ignorantiam. Nihilominus tamen
tantam calamitatem ſecum contulerunt hæ nuptiæ, vt nihil reli-
quum factum ſit ad ſummum miſeriarum cumulum: ſecuta con-
tinua bella, tum externa, tum ciuilia, veluti hereditaria, vt ſcribit
idem Philo *d. lib. de ſec. leg. c. cont. mœch.* Explicat autem Homerus,
his verbis, *Odyſſ. λ verſ. 265. & ſeq.*

μητέρα τ' οἰδιπόδαο ἴδον καλλὼ ἐπικάστω,
ἣ μέγα ἔργον ἔρεξεν ἀϊδρείησι νόοιο,
γημαμένη ᾧ υἱεῖ· ὁ δ' ὃν πατέρ' ἐξεναρίξας
γῆμεν. ἄφαρ δ' ἀνάπυστα θεοὶ θέσαν ἀνθρώποισιν.
ἀλλ' ὁ μὲν ἐν θήβῃ, πολυηράτῳ ἄλγεα πάσχων,
καδμείων ἤνασσε, θεῶν ὀλοὰς διὰ βουλάς,
ἡ δ' ἔβη εἰς ἀΐδαο πυλάρταο κρατεροῖο
ἁψαμένη βρόχον αἰπὺν, ἀφ' ὑψηλοῖο μελάθρου
ᾧ ἄχεϊ σχομένη, τῷ δ' ἄλγεα κάλλιπ' ὀπίσσω,
πολλὰ μάλ' ὅσσα τε μητρὸς ἐριννύες ἐκτελέουσι,

id eſt,

*Matremq; Oedipodis vidi pulcram Epicaſtam,*
*Quæ ingens facinus commiſit, inſipientia mentis,*
*Nupta ſuo filio: ille, ſuo patre peremto,*
*Vxorem duxit. Statim autem vulgata Dii fecerunt hominibus.*
*Sed ille quidem in Theba amabili, dolores patiens,*
*Thebanis imperabat, Deorum dira per conſilia.*
*Illa abiit in Plutonis domum validas portas habentis,*
*Annexa laqueo ſublimi ab alta trabe*
*Suo dolore correpta: huic dolores reliquit poſt ſe*
*Valde multos, quotquot matris furiæ efficiunt.*

¶ Climeneus † Telei filius, Harpalycem filiam cum qua antea 8
occulte concubuerat, occiſo Alaſtore, cui deſponſata erat, palam
vxorem habuit. Sed facinore commota Harpalyces, iuniorem
fratrem necauit, ac quodam feſto ſacrificiorum comedendum
dedit populo Argiuo. Climeneus vero facinorum conſcientia ſe-
ipſum interemit, vt narrat Parthenius, *in Erotic. c.* 13.

¶ Refert † & idem, *idem Parth. eod. cap.* 17. matrem Periandri 9
cum eo clam concumbentem, ſe quoque interemiſſe, & Perian-
drum in furorem & ſæuitiam crudeliſſimam delapſum. Baſſianus
Antoninus, dictus Caracalla, vxorem inceſtu Iuliam nouercam
ſuam duxit, teſte Spartiano, *Æmil. Spar. in Caracal.* Sed qualis
ſceleris vir is fuerit, nemo ignorat: qualiſve Commodus Anto-
ninus, qui Lucillam ſororem conſtuprauit, & occidit, conſobri-
na patris complexibus ſuis coniuncta, vt ait Lampridius, *in eius
vita*, vitæ enim eius indignitas & ad ſcelera procliuem fuiſſe no-
uum non ducit, ſi Herodianum legas, *in Commod.*

¶ Omitto † reliquos inceſtuoſos principes, vt monſtra, Ne-
ronem & Ottonem, de quibus Xiphilinus ex Dione, *in Nero. &
Otho.* Quibus, quia Dei neque naturæ numen venerabantur, id
licere, quod non prohibebant ſubditi, ſed impie, ſibi perſuade-
bant. Reſeruati tamen grauiori pœnæ in illud ſeculum iudicio
Dei. Fuit illis imperandi arbitrium ad malum occaſio, ſicuti &
Cambyſi, qui cum amore ſororum captus eſſet, vt eſt apud Hero-
dotum, *in Thalia. in lib. 3.* nec liceret ſororem lege Perſarum du-
cere, interrogans iudices regios, apud quos legum cuſtodia & in-
terpretatio erat, num lex id permitteret, reſponſum accepit, nul-
lam legem ſe inuenire, qua fratri licitum ſit nubere ſorori: quan-
dam tamen inuenire, qua liceat regi Perſarum facere quod lu-
beat. ¶ Quod † autem ad collaterales gradus & nuptias eorum 11
pertinet, variæ certæ in illis fuerunt gentium leges. Nam apud
Athenienſes Solon vetauit in vterinis tantum germanis: contra
Lacedæmoniorum legiſlator vterinis non interdicit connubia,
ſed ſolis eodem patre genitis. Ægyptius vtraque ridens, vtriſque
laxauit libidinem, *Philo Iud. lib. de ſpecial. leg. con. mœch. Arnob. lib.
8. cont. gen.* Æmilius Probus quoque ait, *in Cimone*, patrum Athe-
nienſium more fuiſſe, ducere ſorores. Et alibi, *in proœm. vitar.*
idem repetit, hoc tamen non congruere ſuis moribus, id eſt, Ro-
manis, fatetur. Sunt tamen aliqui, vt Androcides, *oratio. contra
Alcibiad.* Athenæus, *lib.* 13. & Suidas, *in verbo Cimon*, & ὅς ἐρχῷ,
qui quod Probus firmat exemplo Cimonis, improbent: dicant-
que Cimonem per Oſtraciſmum vel teſtulas a ciuitate ad tempus
exterminatum, quod contra leges commiſiſſet in eo, quod ſoro-
rem ſuam Elpinicem duxiſſet. Prohibet & hanc vxorem ducere
Phocylides, hoc verſu,

Μηδὲ κασιγνήτης ἐς ἀπότροπον ἔλθῃ λέχος εὐνήν.

*Ne ſtratum vetitum geniale ſororis inito.*

¶ Fuit † lex lata a Moſe, *Numer. cap. 36. & Tob. cap. 7.* poſt diſtri- 12
butionem factam terræ adeptæ promiſſionis tribubus Iſraeliti-
cis, vt fœminæ, ad quas bona perueniſſent familiarum, exſtinctis
maſculis, nuberent tantum hominibus ſuæ tribus, ne confunde-
rentur bonorum diuiſiones, tranſeuntibus filiabus in alienas fa-
milias. Fuiſſe & inter alias gentes hanc legem, vt proximis nu-
berent fœminæ, conſtat ex Iulio Polluce, *lib. 3. Onoma. cap. 3.*
dum meminit de lege Athenienſium Solonis: aitque filiam illis
vnicā dictam ἐπικληρίτην, quam duceret generis neceſſitate pro-
pinquus, eamque, ſi indotata eſſet, dotandam a propinquo, ſi
illam non duxiſſet. De illa lege Terentius, *in Phormio.* videtur et-
iam locutus dicens,

*Lex eſt orbæ, qui ſint generi proximi,*
*Eis nubat, & illos ducere eadem hac lex iubet.*

Et alibi idem, *Terent. in Adelphis.*

*Hæc virgo orba eſt patre.*
*Hic meus amicus, illi genere eſt proximus.*
*Huic leges cogunt nubere hanc.*

Fortunatianus *lib. 1. Rhetori.* quoque ait, *lex eſt, orba proximo nubat, vel ſi eam noluerit in matrimonium ducere, det decem millia.*

13 ¶ Poſtea † autem & leges iſtæ in deſuetudinem abierunt, limiteſque proximitati conſtituti, qui non liceret conſanguinibus coniungi: placuitque non licere nuptias cum ſorore primum contrahere, etiam ſi illa vulgo quæſita ſit, *Paul. l. adoptiuus, 14. §. ſeruiles. Et Scæuol. l. nihil intereſt, 54. de ritu nupt. in P.* Legem & tulit Cocceius Nerua, ne fratris filiam vxorem ducere fas eſſet, *Dio, in Cocceio Nerua ap. Xiphili.* De neptibus ſcribit Plutarchus, *problem. 6.* in hæc verba, *ſuperioribus*, inquit, *temporibus, quæ ſe aliqua neceſſitudine contigiſſent, vxores non ducebant, quemadmodum nec nunc quidem ſorores: ſed non ita pridie factum eſt, vt neptes vxores ducere permitterent: & plebiſcitum factum, vt in ducendis vxoribus ad neptes vſque aſcendere liceret, ſuperior tamẽ neceſſitudo prohiberet.* Verum Paulus, *l. ſororis proneptem, 39. de rit. nupt. in P.* Iuriſconſult. *ſororis proneptem*, inquit, *non poſſum ducere vxorem, quoniam parentis loco ei ſum.* Et Diocletian. & Maximi. CC. *l. nemini liceat*, inquiunt, *contrahere matrimonium ex latere cum amita, matertera, ſorore, ſororis filia, & ex ea nepte, præterea fratris tui filia, & ex ea nepte.* Et Imperator Alexius Comnenus, *lib. 1. iur. Oriental. in conſtitutio. Alexii Comne.* περὶ γάμυ θείας, ad ſuggeſtionem Proedri & Ethæriarchæ Bardæ Zeri conſtituit quoque ne amita & fratris filia cum patruo & fratris filio tametſi ſexti gradus ex cognatione affinitatem obtineant, citra impedimentum iungantur. Quæ cõſtitutio etiam ex Nicolai patriarchæ Conſtantinopolitani ſubnotatione recepta eſt. Meminit Suetonius, *in Claudio, c. 26.* Claudiũ Cæſarem, illecebris Agrippinæ Germanici fratris ſui filiæ, per ius oſculi, & blanditiarum occaſiones pellectum in amorem, ſubornaſſe proximo ſenatu, qui cenſuerunt cogendum ad ducendam eam vxorem, quaſi reipubl. maxime intereſſet, dandamque ceteris veniam talium coniugiorum, quæ ad id tempus inceſta habebantur: ac vix vno interpoſito die confeciſſe nuptias, non repertis, qui ſequerentur exemplum, excepto libertino quodam, & altero primipilari, quod & tradit Cornelius Tacitus *in 6.*

14 ¶ Duorum † fratrum filii, vel filiæ, id eſt, conſobrini, ſecundum Theophilum, *§. duorum fratrum, de nupt. in Inſtit. lib. 1. Theophil. hic contrarium ſentit. P. Brederodius.* matrimonio coniungi ſecundum & Iuſtinianum, *§. horum fratrum, eod. ap. Iuſtini. l. celebrandis, C. de nupt.* poſſunt, & ad tertium vſque gradum. Quamuis non olim niſi ad quartum vſque. Diſpenſaſſe & olim Cæſares vt legitimo eſſet vxor conſobrini, Caſſiodorus docet, *lib. 7. varia. c. 46.* Porro Caius, *lib. 1. Inſtit. titu. 4. fratres*, inquit, *amitinos vel conſanguineos in matrimonio iungi, nulla ratione permittitur.* Et puniuntur in Cod. Theodoſiano, *l. 2. de inceſt. nupt. lib. 11. C. Theodoſ.* huiuſmodi, vt inceſtæ nuptiæ: Harmenopulus, *lib. 6. cap. 4.* Prohibet & Alexius Patriarcha Conſtantinopolitanus, *lib. 2. iur. Oriental. in eius conſtit.* nuptias ſeptimi gradus: idipſum Patriarch. Conſtantinopolit. Michael, *eod. lib. in eius conſtitut.* & Chartophilax magnæ eccleſiæ Nicetas, anno mundi 6565. Et Lucas Patr. Conſt. *eod. lib. conſtitutione ſub imperio Manuelis.* Habes autem apud Alexium ſic ordinatos ſeptem prohibitionis gradus:

*Fratres,*
*Georgius & Nicolaus:*
*Conſobrini.*
*Theodete Helene:*
*Sobrini,*
*Demetrius Baſilius.*
*Theodote in 7.*

Sed & Gregorius ad Auguſtinum Angliæ epiſcopum ſcribit, per ea matrimonia ex lege Anglorum intra hos gradus aliquãdo permiſſa, non potuiſſe ſobolem ſuccreſcere, *in can. quadam lex, 3. 5. quæſt. 3.* ideo inhibenda. Et Bonifacius Martyr ideo plures nationes deletas a Deo, *c. ſi gens Anglorum, 36. diſtin.* & in Anglos Agarenos irrupiſſe.

15 ¶ Eadem † iure noſtro pontificio recepta ſunt, & ad ſeptimum vſque gradum recepta prohibitio nuptiarum in collateralibus, *cap. de affinitate, c. progeniem, c. nullum, c. in copulatione, can. conſanguinitate, 35. quæſt. 2. vid. c. fina. de conſang. & affinit.* Septimus autem in prohibitione non eſt, ſed ſextus tantum, *cap. 1. 3. 5. q. 4. cap. 1. 2. 3. 5. quæſt. 5.* diſtinctioque graduum hæc ibi, *filius & filia, id eſt, frater & ſoror ſit truncus, nepos neptis inde, primus gradus: pronepos proneptis, ſecundus: abnepos abneptis tertius: adnepos adneptis, quartus: trinepos trineptis, quintus: trinepotis filius & trinepotis filia, ſextus.* Sed hæc latius intelliges ex epiſtola, *ca. ad ſedem apoſtolicam, 35. q. 5. c. non debet, de conſang. & affinit. apud Gregor. clem. 1. eod.* Alexandri II, Papæ ad Neapolitanos clericos, & epiſcopos omnes Italiæ, quæ diſtinctionem & varium numerandi iuris ciuilis in ſucceſſionibus deferendis ordinem, & iuris pontificii in nuptiis copulandis adfert. ¶ Exſtat † lex Salica antiqua Francorum, 16
*in lib. leg. Salic. tit. 14. §. 12.* in hæc verba, *Si quis ſororem, aut fratris filiam, aut certe alterius gradus conſobrinam, aut fratris vxorem, aut auunculi, ſceleratis nuptiis ſibi iunxerit, huic pœnæ ſubiaceat, vt a tali conſortio ſeparetur, atq; etiam ſi filios habuerint, non habeantur legitimi heredes, ſed infamia ſint notati.*

¶ Impeditur † & matrimonium, cognatione legali per ado- 17
ptionem coniuncta: adoptio quippe naturam imitatur, *§. minorem, de adopt. apud Iuſti. §. & hæc adeo, eod.* Et itaque prohibet matrimonium inter adoptantem & filiam adoptatam, *c. vni. de cogna. legat. lib. 4. Decreta. tit. 11. c. ita diligere, 50. q. 3. l. adoptiuus, & l. quin etiam, de rit. nupt. l. per adoptionem, eod.* inter adoptatam & filium legitimum, & naturales adoptantis. ¶ Impedit † etiam co- 18
gnatio ſpiritualis, quæ ex baptiſmate oritur, inter presbyterum baptizantem & baptizatum, & matrem patremve eius: inter confitentem & confeſſum, *can. omnes, & ſeq. 30. q. 1. c. fin. de cognatio. ſpiri.* inter baptizatum & baptizantem, non ſunt iuſtæ nuptiæ, *Iuſtin. l. ſi quis alumnam, 26. de nupt. C. c. 1. de cogna. ſpiri. in 6.* Nec inter patrem baptizati & vxorem leuantis vel patrini, *c. 4. de cogn. ſpirit. apud Gregor.* inter patrem matremve luſtralem, matrimonium quoque impediebatur, quamuis factum non diſſoluatur, ſicut ante in conſanguinitate dictum eſt, *c. 2. eod c. 1. & 2. 30. q. 1. c. dictum, eod.* Non permittitur etiam inter regeneratum ſeu regeneratam, & filios regenerantis poſtea natos, *c. ex literis, & c. tua nos, de cog. ſpir. c. pictorium, 30. quæſt. 3.* Obſeruant & hanc prohibitionem alioquin barbaræ nationes Rhutenorum ſeu Moſcouitarum, vt ait Sigiſmundus Liber Baro, *in commentar. de reb. eor.* Inter confirmatum & patrem eius, & tenentem ad confirmationem cognatio & prohibitio, *c. ſi quis filiarum, 30. q. 1.* ex concilio Tridentino 8. ſeſſio. c. 2. reformationis. Demetrius Chomatenus, *lib. 3. iur. orient. tit. de grad. cogna.* Archiepiſcopus Bulgariæ, vnum fieri hominem dixit, patrem naturalem, & eum qui filium ſuum ex baptiſmate ſuſcepit, indeque compares dici, & eorum liberos fratres: indeque natos naturalem ſortiti cognationis appellationem, quia Sancti Spiritus vniendi poteſtas, omnes conciliauit in veram propinquitatem. Adfert & ca. 56. ſextæ Synodi, quo cauetur, vt quia neceſſitudo ſeu affinitas ſpiritualis maior eſt corporum coniunctione, ne quis cum matribus matrimonium ineat, quarum filios ex ſacro baptiſmate ſuſcepit: alioqui pœnam diremtionis matrimonii ſtatuens & fornicatorum. ¶ Cognatio † vero & filiatio ſpiritualis ex confeſſione ſeu pœnitentia, confitentem & abſoluentem non egreditur, *vide gloſ. in ca. omnes, 30. quæſt. 1.* quia per pœnitentiam ea non fit remiſſio peccatorum, vel regeneratio, quæ per baptiſmum fit. ¶ Affinitas † etiam in 19
certis gradibus habet nuptiarum prohibitionem, quia, vt ait Plutarchus, *in problem.* antiqui nuptiis neceſſitudines augeri voluerunt: & ideo illis minus iunctos potius, quam pene familiares cõiungi oportuit. Adde quod & quandam honeſtatem inter veneratione quadam iunctos cõſeruari oportuit intactam. Et ita prohibentur nuptiæ affinitatis gratia, *§. affinitatis, & §. ſocrum, de nupt. l. nemini, 17. de nup. C. l. adoptiuus, 14. §. nunc videamus, de rit. nupt.* cum priuigna, nuru, ſocru, nouerca. Affinitas vſque ad quartum gradum a matrimonio ex quo naſcitur computandum, prohibitionem habet, *c. 1. & c. non debet, & c. fin. de conſang. & affinit.* Statuit Emanuel Comnenus, *in iure Oriental. lib. 1. in nouel. 5. Emanue.* περὶ γάμυ μετὰ δυεῖν δευτέραιν ἐξαδέλφαιν, *de nupt. cum duabus ſobri.* Cæſar, ne vnus & idem duas ſobrinas poſſet ducere ſucceſſiue, quia inquiebat contractum ad ſextum gradum affinitatis deduci, cum maritus cenſeatur vnus gradus cum vxore. Exſtat & conſtitutio Siſinii Patriarchæ Conſtantinop. *lib. 1. iur. Oriental.* ne duo fratres accipiant duas conſobrinas. Idipſumque aliis Patriarcha Nicolaus, *eod. in eius ſanctio.* firmauit. Imo Græcis omnibus non videtur idoneum, vt ſi pater matrem, cum ſint duo vnum, vxorem accipiat, filius familiam non ſine reatu, valeat ſibi coniugio ſociare, vt ſcribit Luithprandus, *lib. 4. de reb. per Europ. geſt. c. 6.* Hæc etiam obſeruant Moſcouitæ, vt ait Sigiſmundus Liber Baro commentariis de rebus eorum. ¶ In † affinitatis 20
prohibitione variatum etiam fuit, nam iure diuino olim proxi-

iorm

maior frater tenebatur accipere viduam fratris ſui præmortui, & ei ſuſcitare ſemen: vel ſi proximior renuebat, conuocatis ſenioribus vidua proteſtata cum ignominia ſoluebat calceos, & ſpuebat in recuſantem matrimonium, eiuſque domus perpetuo dicebatur domus excalceati, *Deuteron. c.25. Ruth. 4.* Quod tamen lege Euangelica, & iure pontificio ſublatum eſt, *c.fin.de diuort. c. olim, 8.q.1.* Et iura ciuilia quoque ſubſcripſerunt, *l.fratris, 5. & l.pen. & fin.de inceſt.nupt. C. §. affinitatis, de nupt. apud Iuſtinia.* ¶ Affinitas
22 † primi generis tantum prohibet nuptias inter virum & conſanguineas vxoris, & inter vxorem & conſanguineos viri vſq; ad gradus prædictos: at non inter conſanguineos affines, *c. quod ſuper his, de conſang. & affinit. §. mariti, de nupt.* Idipſum dicimus in ſponſalibus, in prohibitione ratione publicæ honeſtatis, *Panor. in c.iuuenis, de ſponſal. Angelus, in §. ſi vxor, de nupt. d.c. ſuper his.* De quib. haurire oportet cognitionem ex illis, quæ diximus in c.
23 de affinitate poſt nuptias. ¶ Ceterũ † ex diſpenſatione ſummi põtificis, nuptiæ poſſunt contrahi licite inter gradus ſeu generationes prohibitas, *ca. quod dilectio, & cap. quia circa, de conſang. & affinit. de qua diſpenſa. vide plura in gloſſ. c. vt conſtitueretur, 50. diſt.* Nemo autem præter ſummum Pontificem diſpenſat in gradu prohibito, *glo. in d. tit. quod dilectio, & ibi Panorm. num. 5.* Siquidem in concilio generali prohibitio facta eſt nubendi intra quartum gradum, *c. debet, de conſang. & affin.* Alius autem, quam ſummus Pontifex, nemo poteſt contra concilium diſpenſare, *glo. in c. cum dilectus, de elect. Felin. in cap. at ſi clerici, §. de adulteriis, de iudi.* Is quoque nec in omni gradu diſpenſat, nec in quibus poteſt, ſine magna poteſt cauſſa. Item nec Sum. Pont. in primo vel ſecundo gradu diſpenſabit, *late glo. in c. pitacium, 30. quæſt. 3.* vt quis ſororem vel neptem in vxorem habere poſſit: quia Deus prohibuit turpitudinem ſororis & filiæ eius reuelare. *Filiam filiæ eius non ſumes, quia vna caro ſunt, Leuit. c. 18.* Et ſi illa verba intelligantur in deſcendentibus, certe nec in collateralibus in ſecundo gradu diſpenſare poteſt, *c. literas, de reſtit. ſpol.* Poſſe tamen eum in hoc, ex magna cauſſa, putat communis interpres Decretorum, *glo. in d. cano. pitacium, in verbo, ſororis, per cap. quæritur, 12. q. 2.* At inter collaterales in linea inæquali, vt in linea aſcendentium, ſubmouet Panormitanus omnem diſpenſandi facultatem, *Panor. in c. literas nu. 17. de reſtit. ſpoli. & in c. propoſuit, de conceſſ. præb.* cui & ego ſubſcribo. In linea quandoque collateralium ex maxima cauſſa admittunt omnes, vt pro pace inter principes, *arg. cap. niſi eſſent, de præben.* diſpenſetur. In his autem qui coniunguntur tertio, aut quarto gradu conſanguinitatis, vel affinitatis, Sum. Pont. leui ex cauſſa diſpenſat, ſi veritas gradus & lineæ illi narrentur, *d. c. quod dilectio, de conſang & affinit.* Facilius autem diſpenſat, prohibitis propter publicam honeſtatem, cuiuſcunque ſint gradus, vel propter cognationem ſpiritualem, *Interp. in dicto cap. literas, & cap. propoſuit, de conceſſ. præb.* Porro diſpenſatio efficiet, vt contrahens contra prohibitionem non ſit excommunicatus, *clem. vni. de conſang. & affinit.* vt vitet pœnas, inceſtas nuptias contrahentium, *de quib. in titul. de inceſt. nupt. in authen. in c. cum ſecundum leges, de hære. in 6. Anchar. conſil. 409.* Dehinc tertio vt nati ex eo matrimonio, veluti ſublato impedimento, fiant & legitimi, etiam quod attinet ad ſucceſſiones iure ciuili deferendas, *Panor. in c. referente, c. 4. & c. per venerabilem, nu. 21. qui fil. ſint legit.*

## De impedimentis contrahendi matrimonii, de Furore, & Errore, Frigiditate, Metu.

## Cap. 12.

1 *Furor iniri matrimonium prohibet, initum tamen ſuperueniens non ſeparat, niſi apud Græcos.*
2 *Error in matrimonio quando ipſum diſſoluat.*
3 *Præſentia perſonæ omnem erroris adimit ſuſpicionem, excepto ſtatu ſeruitutis.*
4 *Error in virginitate ſoluebat olim matrimonium: hodie non.*
5 *Impotentia coeundi quando diſſoluit matrimonium.*
*Impotentia coeundi duplex, natura, arte.*
6 *Natura, quia aut frigidus, aut minoris ætatis.*
*Frigiditas naturalis ante matrimoniũ, & cum matrimonio perſeuerans, diſſoluit illud.*
7 *Maleficium non coeundi diſſoluit, ſi ante matrimonium fuerit, & perſeueret per tres annos, & ignoretur tempore initi matrimonii.*
8 *Sterilitas non eſt cauſſa ſufficiens dirimendi matrimonii.*
9 *Maleficium diſſolui poteſt.*
*Amaſis Regis Ægyptiorum maleficium coitionis quomodo diſſolutum.*
10 *Solonis leges de frigidis, & contra frigidos.*
11 *Creditur potius dicentibus aliquem eſſe potentem coeundi, quam dicentibus eſſe impotentem.*
12 *Metu fieri non poſſunt matrimonia, & facta dirimuntur.*
13 *Prouinciarum adminiſtratores, & qui erant ex illorum comitatu, cum ſubditis contrahere matrimonium nequibant.*
14 *In Gallia permittitur magiſtratibus matrimonium cum ſubditis, quare.*
15 *Tutoris, curatoris, aut filiorum eorum cum pupilla, aut minori, matrimonium quando valet.*

DEinceps † impedit matrimonium iniri furor, quamdiu is per- 1
ſeuerat; propter conſenſus, qui illud, vt diximus, facit defectum, & ſi furor ſuperueniens iure Romanorum non diſſoluat contractum, *Vlp. l. patre furioſo, de iis qui ſunt ſui vel alien. iur. lib. 1. P. tit. 6. l. furor, de ſponſ. in P.* quod & pontificio receptum eſt, *Innoc. 3. in c. dilectus, c. 24. de ſponſ. lib. 4. Decret. tit. 1. c. neque furioſus, 32. q. 7.* Iure tamẽ orientali Græcorum paulo aliter receptum eſt, placuitque vt notat Conſtantinus Harmenopulus, *lib. 4. tit. 12.* ſuperuenientem furorem poſſe matrimonium diſſoluere. Exſtat & conſtitutio Nicephori Botoniatæ, *lib. 1. iur. Oriental. in eius conſtitutio. περὶ διαλύσεως γάμου.* Imperatoris Orientis ea de re & Leonis Philoſophi neara centeſima, & centeſima prima, quibus cauetur, vt ſi per triennium vxor in furore perſeueret, maritus diſſolui poſſit petere matrimonium: ſin autem vir per quinquennium furit, vxor quoque abire poſſit matrimonio. Sequimur eccleſiæ catholicæ legem, qua matrimonium rite contractum, niſi ratione thori, vt dicemus, non diſſoluitur. ¶ Error † aliquando, qui 2
inter contrahendum matrimonium incidit, inhibet ne illud efficax ſit, aut indiſſolubilis coniunctio. Non enim conſentiunt, qui errant, *Vlp. l. ſi per errorem, 15. de iuriſd. omn. iudic. lib. 5. P. tit. 1. l. ſi procurator. in 2. de acquir. rer. dom.* At error hic perſonæ, *cap. 1. 29. q. 1.* abſentis, ſi vna pro alia intellecta ſubiiciatur, non autem in perſona præſenti: veluti dum Lia ſuppoſita pro Rachaele Iacobo, in quam tamen poſtea conſenſit, *Geneſ. 29.* Nec ſi erretur in qualitate, vel fortunis, ſeu patrimonio coniugum. ¶ Præſentia
† itaque perſonæ omnem erroris ſufficientis, *l. ſi id quod aurum,* 3
*de verb. oblig. in P. c. cum in corpus, de acq. rer. domi. P.* adimet ſuſpicionem, excepto errore conditionis ſtatus: nam qui liberam ſe duxiſſe putabat, ſi ſeruam eſſe detegat, abire poteſt ab eius coniunctione, & alteram ducere, *c. 2. & fi. de coniug. ſeruo. li. 4. Decret. tit. 9. tota 29. q. 2.* dummodo poſtquam ſeruam cognouerit, cum ea non concubuerit. Nam concumbendo ei adhęrere cogeretur.
¶ Olim † error in virginitate quoque iure diuino ſoluebat ma- 4
trimonium, vt ſi quis quam pro virgine duxerat, talem non inueniſſet, *Deut. c. 22.* illa autem dimiſſa, lapidabatur. Sed & hæc lex in deſuetudinem abiit, & tenet matrimonium. Sicuti iure ciuili firma eſt emtio mulieris, quam quis emerat pro virgine: in ſexu enim non eſt erratum, vt ait Vlpianus, *l. alioqui, 11. de contrah. emt. lib. 18. P. tit. 1.* niſi qui vendidit mulierem, inquit, ſciuiſſet, & ita decepiſſet emtorem. Sic enim ait, *Vlp. in l. ex emto, 11. 5. ſi quis virginem, de actio. emt. lib. 19. P. tit. 1. Si quis virginem emere putaſſet, cum mulier veniſſet, & ſciens errare eum venditor paſſus ſit, redhibitionem quidem ex hac cauſſa non eſſe: veruntamen ex emto competere actionem ad reſoluendam emtionem, vt pretio reſtituto mulier reddatur.* Verum quia poſt nuptias initas & conſummatas res non eſt integra, & quia pater vel alius vix de virginitate vadem ſe præſtare poteſt: certe ob penuriam probationum, periculo ipſius mariti, non virgo, virgo fingitur. Vt maxime cauendum ſit in his mercibus, quarum vitia non cognoſcuntur, niſi poſtquam comparatæ ſunt, cautius negotiari. Videtur tamen Romanis fuiſſe & hanc cauſſam repudii, ſi quis eam, quam putaret caſtam, malæ famæ, & meretricem fuiſſe inueniret, vt innuit Perſa filia Saturionis, qui eam vendebat, vt inde illi dotem pararet, poſt ſcortationem nuptui daturus vt liberam, dicens apud Plautum, *in Perſa, act. 3. ſcena 1.* patri,

*Verum videto me vbi voles nuptum dare,*
*Ne hæc fama faciat repudioſas nuptias.*

Et poteſt mulier, ac virgo, marito obſequia thori, & prolis reddere. Quo fit, vt hic error nõ ſoluat matrimonium: quamuis poſſit thorum ſeparare, vt poſtea in adulterio dicemus.

¶ At † contra, ſi vxor putans virī potentem & matrimonio ido- 5
neum accipere, inueniat eum non poſſe partem matrimonii implere & exſequi, quæ in coniunctione corporum eſt, tunc enim,

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

diſtinctione obſeruata, impeditur & dirimitur contractum ma-
trimonium. Etenim non idoneus coniunctioni vel natura vel ar-
tificio eſſe quis poteſt, *c.1.& 2.de frigi.& malef.*
6 ¶ Natura,† vel propter defectum ætatis, quia impubes, de quo
ſatis antea dictum eſt. Vel quod adeo frigidus quis inueniatur, vt
nequaquam eo morbo liberari, nulloq; remedio incaleſcere poſ-
7 ſit. ¶ Qui † morbus, ſi antequam coniuges conueniant, & con-
trahant, ignoretur poſtea perſeuerante eo, ſoluendæ vel dirimen-
dæ coniunctionis cauſſam legitimam præſtat, *d.c.1.& 2.& c.con-
ſultationi, de frig.c.1.& 2.33.q.1.* Et potius dicetur impedimentum
obiectum: ne matrimonium perfici potuerit, quam diſſolutio:
quia quod non eſt coniunctum plene, dici abſolute diſſolui non
poteſt, *Vlp.l.Iulianus,4.de diuort.lib.24.P.tit.2.* Idem in vxore di-
cendum, vt ſi illa arcta ita fuerit, & talis morbo reddita, vt vxoris
munia non poſſit præſtare, poſſit diſſolui matrimonium, *c.3.& c.
fraternitatis, c.6 de frig.& malef.c.quod autem interrogaſti,& cano.
requiſiſti, 33.q.1.* Quod & ſi maleficio contigerit inſolubili, pari
modo intelligendum, *can.ſi per ſortiarias, 33.q.1.* vtpote artificio,
velut ex ſectus pene vel veretro, eãdem habebit cauſſam. Verum
hic obſeruanda ſunt primum, vt ante matrimonium hoc vitium
vel morbus fuerit, non autem poſt cognitam vxorem, *c.hi qui ma-
trimonium, 32.q.7.glo.1.in c.ex literis, de frig.& mal.facit a ſimili. eſt
& 2.de coniug.lepro.* ſecundo, vt cum matrimonium fieret, igno-
raretur, *c.4.de frig.& male.* tertio, vt, ſi de frigiditate non conſtet,
& dubium ſit, exſpectetur in matrimonio lapſus trium annorum,
poſtea permittatur, *c.laudabilẽ c.5.& c.fi.eo.§.diſtrahũtur, de nup.
in authen col.4.l.in cauſſis,& authen.ſed hodie, de repud. lib.5.C.tit.*
8 *17.* ſi conſtet, ſtatim iudicio eccleſiæ ſolui poſſit. ¶ Inter † fructus
enim & fines matrimonii & ille eſt, generare liberos, *§.1.de nupt.
in auth.l.1.ſol.matrim.P.* Veruntamen notandum eſt, ſolam ſterili-
tatis cauſſam & prętextum non ſufficere ad impediendum, vel di-
9 rimendum matrimonium, *can.pen.& fi.32.q.7.* ¶ Porro † dicimus
in maleficio ante ſolutionem exſpectandum eſſe certum tempus,
quia maleficium ſolui poteſt, vel orationibus diuinis, vel aliis mo-
dis. Quemadmodum accidit Amaſi regi Ægyptiorum, & Ladicæ
vxori: refert enim Herodotus, *lib.2.pag.353.* Amaſim cum ea non
potuiſſe concumbere, dum in thoro cubaret, cum tamẽ aliis mu-
lieribus vteretur: donec Amaſis, cum id diu fieret, ad eam dixit, tu
vero vxor veneficio me læſiſti, ideoque nullo machinamento po-
tes effugere, quominus inter omnes mulieres teterrima morte
pereas. Ea autem vouit Veneri, ſi ea nocte coiret ſecum Amaſis,
10 ſtatuam Cyrenas ſe illi miſſurum: tunc enim coiit. ¶ Exſtat † quæ-
dam lex Solonis de capite hoc ſtatuens, *Si quis,* inquit, *lege obtinue-
rit, vt ei pupilla heres elocata ſit, factusque ſit dominus, ad rem autem
veneream minus idoneus: proximior viri admittitor.* Subiicit ratio-
nem Plutarchus, ne alienum quod naſceretur, eſſet, *in Solone.* Sed
& is aliam legem eiuſdem refert hanc, *Plutar. eo.* ἐάν τις δυνάμενος
συνιέναι, χρημάτων δ᾽ ἕνεκα λαμβάνων ἐπίκληρον, καὶ τῷ νόμῳ καταβιαζό-
μενος φύσιν φιλοπλουτίας, καὶ ὕβρεως δίκην δοῦναι, id eſt, *Si quis ad gene-
randum idoneus non ſit, ſed bonorum gratia vxorem duxerit contra
naturam, cupiditatis & iniuriæ in eum actio dator.* Animaduertant
11 † tamen iudices, vbi duo teſtes deponunt aliquem frigidum eſſe,
alii duo contrarium, fidem potius habendam negantibus, vt veri-
ſimiliora deponentibus & aptiora naturæ, *Anton.Corſetus, in ſin-
gularibus, in verbo teſtis, incipiente duo teſtes deponunt, arg.c.præter-
ea, de teſtib.l.ob carmen, §.fin.eo.P.Innocen.in c.1.de frig.& malefic.*
12 ¶ Impedit, † ne matrimonium ſortiatur effectum etiam metus, &
contractum dirimit, *c.cum locum, de ſponſal.* cum libera debeant
eſſe matrimonia, *c.Gemma requiſiuit, eo.l.2.de inut ſtipul.C.l.neque
13 ab initio, C.de nupt.* ¶ Quamobrem † qui in dignitate & maiori ad-
miniſtratione adminiſtrabant prouincias ſibi commiſſas, quippe
quod poterant nolentes cogere, ius matrimonii contrahẽdi, pen-
dente poteſtate non habebant, nec erat matrimonium, ſi fieret
coniunctio, *Papin.l.præfectus,63.Pau.l.ſi quis officium,38. Marcel.
l.qui in prouincia.57.de rit.nupt.in P.l.1.ſi rect.prouinc.vel ad eum
pert.&c.lib.5.C.tit.2.l.1.ſi qua.præd.pot.&c.eod.lib.tit.7.l.3.§.videa-
mus, de donat.int.vir.& vxor.in P.* nec cum filiis eorum, nec cum
perſonis, qui erant comites eorundem, niſi poſt depoſitam admi-
niſtrationem, mulier, quæ gerenti conſenſerat, in matrimonium,
perſeueraſſet, *Gord.l.etſi contra,7.de nupt.C.l.eos qui,& l.ſi quis of-
14 ficium, de rit.nupt.* ¶ Vel † in patria ſua quis gereret officium, *d.l.
eos, 65.* In Gallia tamen iſtæ prohibitiones magiſtratibus remit-
tuntur, quia dignitates ſunt perpetuæ nunc, non autem tempo-
rales vt olim, vt notat Guill. Benedictus, *in repet.c.Raynutius in
verbo, duas habens filias, num.44.de teſtam.* & Ganguinus, *lib.10.
in Ludou.11.* Exſtat & ea de re cõſtitutio Ludouici XI. regis Gallia-
rum, apud Aufrerium, *tit.de exceſſib.offic.c.9.§.præterea.* ¶ Pro- 15
pter † eandem metus ſuſpicionem, & honeſtatem quoque, pro-
hibebatur matrimonium, illudque contractum, nullum dictum,
quo tutor vel curator intra viceſimum quintum annum, non de-
ſponſatam a patre neq; teſtamento deſtinatam, ducebat vxorem,
vel filio ſuo iungebat, *Paul.l.nõ eſt matrimonium,66.& l.tutor,36.
Tripho.l.non ſolum,67.& Papin.l.præfectus,63.de rit.nupt.tot.tit.de
interdi.matri.int.pupil.& tuto.&c.lib.5.C.tit.6.* Addunt Diocle-
tianus & Maximinianus aliam rationem, quod huiuſmodi cõiun-
ctione, fraudem adminiſtrationis tutor vel curator tegere labora-
uerit: vnde manet infamia contra eum, veluti confeſſum, *Diocl.
& Maximi.l.penul.de prohibit.matrimo.int.pupil.& tuto.C.* Poteſt
tamen curator adulto ſuo impune filiam ſuam coniungere, *l.cu-
ratorem,5.de prohib.matrim.int.pupil.& tut.C.* Sic & filium pupil-
læ is, qui vere tutor non eſt, ſed pro tutore negotia geſſit, *l.fin.de
interdi.matrim.C.*

## De aliis impedimentis matrimonii propter diuer-ſitatem qualitatum perſonarum.

### Cap. 13.

1 *Prohibitiones perſonarum legis Iuliæ de maritandis ordinibus.*
2 *Liberi ſeruiſne coniungantur, lex Hebræa & Francica.*
3 *Adultera ab adultero duci non poteſt in vxorem, & quomodo intelligatur.*
4 *Periclis lex, non eſſe Athenienſes, niſi ex ſolis Athenienſibus natos.*
*Lex 12.tab.de patriciis & plebeiis non iungendis.*
5 *Indorum lex, ne cum alterius artis homine, vel alterius generis, liceret matrimonia inire. Artes plures exercere non licebat Indis, niſi philoſophis.*
6 *Cæſarum lex, ne cum barbara inire matrimonium vel cum Perſis: & Romanis, niſi cum Romanis, non cum peregrina.*
7 *Lex 12.tab.ne patritii cum plebeiis iungerentur, ſublata.*
8 *Moſcouitarum lege, filia alterius religionis homini non nubit: his D.Paulus, & ſacra concilia leges firmant.*

ERat quoque † prohibitio matrimonii ex lege Iulia, *Paul.l.Iu-* 1
*lia,44.de rit.nup.* & Pappia, de maritandis ordinibus inter Se-
natorem, filium nepotem, pronepotemve eius, & libertinam, &
eam, cuius pater, vel mater ludicram artem feciſſent, & inter ſe-
natoris filiam, neptem, proneptemve ex filio, & libertinũ, eum-
ve, cuius pater vel mater ludicram artem exercuiſſet. Niſi & ipſa
Senatoris filia corpore quæſtum feciſſet, *Sueto.in Auguſt.Florus,
lib.59.* vel artem ludicram: non enim honor ei ſeruatur tunc. Le-
gem Iuliam hanc tulit Octauius Cæſar, vel antiquam emendauit,
*Paul.l.ſenatoris filia,47.de rit.nupt.* ¶ Apud † Hebræos lex, liberi 2
ancillas non ducant vxores: nec ſi per amorem aliqui compellan-
tur, teſte Ioſepho, *lib.4.antiq Iudaic.cap.6.* Et antiqua, *lib.legis Sa-
licæ.tit.14.de ingenuis hominib.qui mulieres ingenuas rapiunt, §.11.*
Francorum lex Salica hæc, *ſi quis ingenuus ancillam alienam ſibi in
coniugium ſociauerit, Malbergonemo, cum ea in ſeruitium inclina-
tur.* Cui pœnæ ſimilis fere ea, quæ ingenuis mulieribus ſeſe pro-
ſtituentibus ſeruis, indicta erat. Senatuſconſulto Claudiano, a Iu-
ſtiniano ſublato, *l.vni.de mulier.quæ ſe propri.ſer.coniunxer.C.&
§ fin.de ſucceſſ.ſubla.quæ fieb.per bon.vend.in Inſtit.iur.ciuil.* ¶ Pro-
hibent † etiam iura eam duci in matrimonium, quam prius pol- 3
luiſſet per adulteriũ, *c.1.2.3.4.31.q.1.c.cum haberet,& c.ex litera-
rum tuarum, de eo qui duxerit in matri.quam prius polluiſſ.per adul.
Papin.l.Claudius Seleucus, de his quib.vt indig.lib.34.P.tit.9.* Quod
ita demum verum eſſe intellige, ſi pœnitentiam non egerint, & ſi
quicquam in necem eius, cui illatum eſt adulterium, moliti fue-
rint: his quippe ceſſantibus & licite contrahunt, & indiſſolubile
remanet matrimonium, *can.ſi quis viuente marito, cum trib.ſeq.
31.q.1.ſuper hoc,& c.ſignificaſti, de eo qui duxe.in matri.quam prius
polluiſſ.per adul.* ¶ Pericles † cum in Repub.floreret, legitimoſque 4
liberos haberet, legem tulit: ſolos Athenienſes haberi, qui ex duo-
bus Athenienſib.nati eſſent, *Plutar.in vit.Periclis.* Lex 12.tab.vna
coniuncta aliis 12.tabulis cõſulto ex Græcia tranſlatis, vetabat in-
ter patritios & plebeios connubium: non aliam ob cauſſam, vt
ait Dionyſ.Halicarnaſſęus, vt ego interpretor, quam ne conſocia-
tis familiis inter ordines fieret concordia, *Dion.Halic.in fi.lib.10.
Hiſtor.Rom.* ¶ Apud † Indos non licebat cum alio genere connu- 5
bia contrahere, ſicut nec ſtudium, nec artem alterius imitari, nec
eundem plura exercere: niſi philoſophus eſſet. Huic enim ob vir-
tutem concedebatur, vt ſcribit Strabo, *lib.15.* & Arrianus, *lib.de
reb.Indi-*

*reb.Indic.* ¶ Interdixerunt† Valentinianus & Valens prouincialibus, cum barbara vxore coniugium, *l.1.de nupt.gentil.li.3.C.Theodoſ.ti.*14. Nec Romanis matrimonii ius cum Perſis, donec permiſit Theophilus filius Michaelis Imper. Conſtantin. *lib.1 iur. Oriental.conſtitu.3. Theophil.* περὶ ἐπιγαμίας περσῶν μετὰ ῥωμαίων. Docet & abunde Nicolaus Gruchius, *lib.1. de comitiis Romanor. c.3.* ius olim non fuiſſe connubiorum, niſi inter ciues Romanos, & non cum peregrinis: habebatur namq; apud illos ratio in illis, nationis, conditionis, gentis, & ſanguinis. Nationis, ne Romanus niſi Romanam acciperet. Quamobrem & Campani hoc iure ademto, confecto bello, M. Meſſala & C. Salinatore Conſulibus, petierunt, vt ciues Romanas ſibi ducere liceret, *Liuius in* 2. ¶ Condi-
7 tionis † reſpectus erat, vt ne libertinam ingenuus, nec libertinus ingenuam duceret, ex lege Papia Poppæa, *Iulia.l.lege Papia, 23.de rit.nup.* Gentis ratio, ex lege 12.tab. olim, ne patritiis cum plebeiis Romæ connubium eſſet, quæ poſtea abrogata fuit, vt videre eſt apud Dionyſ. Halicar. lib. 11. & Liuium. Sanguinis obſeruatio ad gradus pertinebat, de quibus ſuperius & de his omnibus videndus Carolus Sigonius, *lib. de antiq. iur. ciuil. Roman. cap. 9.* Reſponſumque a Iulio Paulo, *lib.2.recept.ſent.de nupt.tit.20.c 6. facit l.libertum, 37. & l.libertum, 64. de rit. nupt. in P.* libertum qui nuptias patronæ vel filiæ patronæ affectaſſet, pro dignitate perſonæ
8 metalli pœna, vel operis publici, coerceri. ¶ Moſcouitæ† ſeu Rutheni, ex canone cuiuſdam Ioannis Metropolitæ eorum, teſte Sigiſmundo libero Barone, *commentar.rer. Moſcouit. in relig. eorum,* nec viro religionis externæ principem filiam ſuam dare ſinunt. Scribit D. Paulus *ad Corinth. 6.c. adhæc, de Iudæ. Nolite ducere iugum cum infidelibus.* Et Conſtantinopolitana ſexta Synodo cautum, *cap.* 72. non licere virum orthodoxum cum muliere hæretica, nec orthodoxam cum viro hæretico copulari: alioquin irritas nuptias exiſtimari, & nefarium coniugium diſſolui. Neque cogitur hodie, *c. de illa, c. 6. de diuort.* coniunx ad virum redire, ſi ille lapſus ſit in hæreſin, & illa voluerit ingredi monaſterium, *ca. vlt.de conuerſ.coniugat. lib. 3. Decret. tit. 32.* Atque ſi vnus coniugum infidelium ad fidem Chriſtianam conuerſus fuerit, & alius in errore perſeueret, recte ſolui poſſe matrimonium placuit, & fidelem ad alterius nuptias poſſe venire, *c.quanto, 7. de diuort. lib. 4. Decret. tit. 19.* Nec eſſe nubendum gentili, vel infideli, docet abunde Q. Septimus Tertullian. *lib. 2. ad vxorem.* a religionis diſparitate: atq; id quod obiiciebatur ex 1. Corin. 7. *Si quis frater infidelem habet vxorem, & illa matrimonio conſentit, ne dimittat eam: ſanctificatur enim infidelis per fidelem, &c.* Intelligit dictum, non de ducenda, ſed de ducta iam, cum Chriſtianus iam ſit. Non enim in textu dicitur, ſi quis ducet: ſed *ſi quis habet vxorem.* Docet & ab auctoritate D. Pauli, *ſi quis vult nubere nubat in domino.* In domino, inquam, non cum gentile, vel cum infideli. Dicebat Tobias filio, *6. Accipe de ſemine parentum tuorum, non alienam.* Idem & monuit Abraham ſeruum inquiſiturum vxorem filio ſuo, *Geneſ. 34. 1. Eſdræ, c. 62.* Iratus dominus ob nouum peccatum, quod alienigenas Iſraelitæ in vxores duxiſſent, quod eos ad idololatriam traherent: vt de Salomone ex libris Regum, 2. *Reg. cap. 11.* notum eſt, quod D. Cyprianus fuſe explicat, *li. 3. ad Quirinum, c. 62.*

## De prohibitione matrimonii eccleſiaſticarum perſonarum. Cap. 14.

1 *Nuptiæ prohibitæ ſubdiaconis, diaconis, preſbyteris, & antiſtitibus, religioſis, monachis, & monialibus: & rationes ex SS. Patribus.*
2 *Coniugati, electi in epiſcopos, abſtinebant in poſterum cõiugibus.*
3 *Clerici ſupra lectorem, etiam iure ciuili vxorem non ducunt.*
4 *Virgines moniales olim non nupſiſſe teſtimonium Ammiani.*
5 *Eſſæi innupti, religioni dediti Iudæorum.*
6 *Sacerdotiũ apud Iuriſconſultos Romanor. diſſoluit matrimoniũ.*
7 *Veſtales Romanæ vetulæ tantum nubebant, ſi vellent.*
8 *Sacerdotes cælibes in Palmaria.*
9 *Reymirius ex monacho rex Aragoniæ, & vxorem ducens ex diſpenſatione.*
10 *Improbatæ rationes eorum qui expugnant caſtitatem cleri.*
11 *Vuiſa rex Aragoniæ permiſit polygamiam ſacerdotibus.*
12 *Alia in ſumma quæ matrimonium prohibent imri*
*Feriæ certæ nuptias vetant.*

1 PRohibitæ † etiam nuptiæ in eccleſia catholica, a qua diſceſſit orientalis Græca, *c.quæſitum eſt, de pœniten. & remiſſ. ap. Grego.* iis qui in diaconos, hypodiaconos, & presbyteros, & epiſcopalem apicem promouentur, *cap. diuerſis fallaciis, & c.1. de cleric. coniug. c.coniugatus, c.5. de conuerſ.coniugat.lib.3. Decreta.tit.32.c.1. & cano. ſi quis eorum, 32. diſt. c.1. & 2. qui cleric. vel vouen. &c. lib.4. Decret. titu.6. Clem.eos, de conſang. & affinit.* Interdixitq; ſynodus Nicena, c.3. ne ſubintroductam etiã mulierem, vel aliam, quam matrem, vel ſororem, ſecum haberent, *c.interdixit, can.hoſpitiorum, 32. diſt.* Item iis, *c.3. & 4. qui cler. vel vouen. &c. c.ſicut, de regular. c. vni. de vot. in 6. tota 29. cauſſa.* qui ſolemne votũ religionis profeſſi ſunt, quæve Deo conſecratæ, & profeſſæ religionem ſunt, interdictum matrimonium. Referam hac de re paucas ſententias ſanctorum patrum, iiſdem, quibus illi ſcribunt, vtens verbis. D. Ambroſius, *ad virginem lapſam, c.5. tomo* 1. *operum. Melius*, inquit, *eſt nubere, quam vri*, 1. *Corinth. 7. hoc dictum eſt, ad non pollicitam virginem, ad nondum velatam pertinet. Ceterum quæ ſeſe ſpopondit Chriſto, & ſanctum velamen accipit, iam nupſit, iam immortali iuncta eſt viro, & iam ſi voluerit nubere communi lege coniugii, adulterium perpetrat, ancilla mortis perficitur, &c.* Et rurſum alibi, *D. Ambroſ. tom. 4. ſup. c.3. prioris ad Timoth. Veteribus idcirco conceſſum eſt Leuitis, aut ſacerdotibus vxores ad vſum habere, quia multũ tempus otio vacabant a ſacerdotio aut miniſterio: multitudo enim ſacerdotũ & Leuitarum, & vnuſquiſq; certo tempore ſeruiebat diuinis ceremoniis, ſecundum inſtitutum Dauid. Hic enim viginti & quatuor claſſes conſtituit ſacerdotum, vt vicibus deſeruirẽt: vnde Abia octauam claſſem habuit, cuius vice Zacharias fungebatur ſacerdotio, ſicut continetur in Paralipom. Ita vt illo tempore, quo non contingebat deſeruire altari, domorum ſuarum agerent curam. Vbi autem tempus imminebat miniſterii purificati aliquantis diebus, accedebant ad templum offerre Deo. Nunc autem quotidie onus illud imminet ſacerdotib. miniſtrandi.* Baſilius Magnus *in aſceteriis, ſermon. poſt ethica. Ad hunc itaq; modum,* inquit, *ante profeſſionem grauis & religioſæ vitæ, liberũ eſt volenti, iuxta conceſſam & legitimam viuendi rationem, coniugio ſe tradere: eum vero qui ſe iam propria profeſſione obſtrinxit, Deo ſe conſeruare conuenit, tanquam anathema quoddam ſacrum, ne ſacrilegii iudicio reddat obnoxium, ſi corpus per promiſſionem Deo conſecratum, denuo communis vitæ ſeruitute polluat.* In canonibus Apoſtolorũ, *in c. 25. vel Græcis quibuſdam* κϛ. 26. τῶν εἰς κλῆρον προσελθόντων ἀγάμων κελεύομεν βουλομένους γαμεῖν, ἀναγνώστας, καὶ ψάλτας μόνον, id eſt, *ex iis qui cælibes in clerum peruenerunt, iubemus vt lectores tantum, & cantores ſi velint, nuptias ineant.* Citat & hunc canonem Epiphanius, *lib.2. cont. hæreſ. tom.1. in Catharos.* ¶ Quod† ſi quis o- 2
lim ad ſacerdotium, vel epiſcopatum eligeretur, nec quidem ſoluebatur cõiugium: verum nunquam poſtea conueniebant coniuges, ſed oportebat & vxorem electi ex conſenſu eligere monaſterium, alioquin epiſcopus deponebatur, ſi vxorem vellet quoq;. Sic & in ſexta Synodo, ca.48. ſtatutũ eſt his verbis, ἡ τοῦ πρὸς ἐπισκοπῆς προεδρείαν ἀναγομένου γυνὴ, κατὰ κοινὴν συμφωνίαν τοῦ ἰδίου ἀνδρὸς προδιαζευχθεῖσα, μετὰ τὴν ἐπ᾽ αὐτῷ τῆς ἐπισκοπῆς χειροτονίαν ἐν μοναστηρίῳ εἰσίτω πόῤῥω τῆς τοῦ ἐπισκόπου καταγωγῆς οἰκοδομημένῳ, καὶ τῆς τοῦ ἐπισκόπου προνοίας ἀπολαυέτω, εἰ δὲ καὶ ἀξία φανεῖν, πρὸς τὸ τῆς διακονίας ἀναβιβαζέσθω ἀξίωμα, id eſt, *vxor eius qui ad epiſcopalem dignitatẽ promotus eſt, communi viri ſui conſenſu prius ſeparata, poſtquam in epiſcopum ordinatus eſt, & cõſecratus, monaſterium ingrediatur procul ab epiſcopi habitatione exſtructum, & epiſcopi prouidẽtia fruatur, ſin autẽ digna fuerit, etiam ad diaconatus dignitatem proueh atur.* Secũdũ quem canonem, Iſaacus Angelus, *lib.1. iur. orient. conſtit.3. Iſaaci Angel.* Orientis & Græcorum Cæſar, idem ſtatuit, creatis pontificib. ante ordinationẽ vxores in muliebria monaſteria procul ſita ab habitatione pontificum, ſine dilatione, induci, tonderique eas & canonice apud monachos degere, in quo monaſterio comã depoſuerint: Aut ſi ipſæ tonſurã recuſent, qui eis ante electionem coniuncti erant, pontificali ſolio & dignitate priuari, & in eorum locum alios ſuffici. Demum, vt qui in poſterũ eos, qui, ante creationẽ, legitimam vxorem habuiſſent, non aliter ordinari, quam ſi cõmuni coniugum ſcripto conſenſu, & placito a ſe inuicẽ ſeparẽtur, & mulier monaſticã vitam amplexa eſſet. Quæ conſtitutio ab Imperatore decreta, aſſidentib. ei epiſcopis Cæſareæ, Epheſi, Cizici, & aliis. Euſeb. Pamph. *lib.1. de demonſt. Euang. oportet,* inquit, *vt ait ſermo diuinus, epiſcopum vnius vxoris eſſe virum: veruntamen eos, qui ſacrati ſunt atq; in Dei miniſterio, cultuq; occupati, continere deinceps ſeipſos a cõmercio vxoris decet. Qui autẽ nõ ad tantũ aſſumti ſunt ſacerdotii munus, iis idẽ ſermo diuinus indulget, ac propemodum palam omnib. prædicat, quod honorabile connubiũ, & thorus immaculatus, &c.* Scribit & Niceph. Cali. *tit.12.c.34.* in Theſſalia ex conſuetudine licuiſſe clerico cuiuis, priuſquam in eum ordinem cooptaretur, legitime vxorem ducere: at ſi poſtea vxorem cognouiſſet, eo ordine motum.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

3 ¶ Et † iure ciuili Cæſarum, vt qui inter reuerendiſſimos conſti-
tutus clericos, vltra lectorem & cantorem, nuptias contraxerit,
4 cadat ſacerdotio, *§ ſed & ſi quis, de nupt. in authen. col. 4. § neque au-
tem, quomo. opor. epiſco. in auth. ead. collat.* ¶ Ammianus † Marcelli-
nus, virgines quoque Deo dicatas innuptas remanſiſſe teſtatur, li-
bro 18. in fine, loquens de direptione caſtellorum Remam & Bu-
ſam, quæ circa Romam erant, per Perſiæ regem. Tempore Con-
ſtantii inuentas tamen, inquit, alias virgines Chriſtiano ritu cul-
tui diuino ſacratas, cuſtodiri intactas, & religioni ſolito more ſer-
uire, nullo vetante præcipit.
5 ¶ Apud † Eſſæos, qui contemplationi, & cultui aſſiduo Dei de-
diti erant, nulla vxor erat, vt ait Philo Iudæus, *lib. quod omnis pro-
bus ſit liser.* & Euſebius, *Pamphil. lib. 8. de præparat. Euang. ca. 4.*
6 ¶ Sed † & ſingulariter Hermogenes & Caius Iuriſconſultus re-
ſponderunt, *l. vitricus, 61. §. fin. & Caius l. vel propter, 62. de dona-
tio. int. vir. & vxor. lib. 24. P. tit. 1. Diuortii cauſſa donationes inter vi-
rum & vxorē receptæ ſunt: ſæpe enim euenit, vti propter ſacerdotium,
vel ſterilitatem, vel propter ſenectutem, aut valetudinem, aut militiā,
ſatis commode retineri matrimonium non poſſit.* Putantes cum ſa-
cerdotio matrimonium retineri non poſſe commode.
7 ¶ Nec † nubebant Veſtales apud Ethnicos, niſi tum, cum reli-
gioni erant inutiles, nempe vetulæ ſicut Prudentius docet, *lib. 2.
contra Symmachum.*

*Tandem virgineam faſtidit veſta ſenectam,*
*Dum thalamis habilis tumuit vigor, irrita nullus*
*Fæcundauit amor materno viſcera partu.*
*Nubit anus veterana ſacro perfuncta labore,*
*Deſertiſq; focis, quibus eſt famulata iuuentus,*
*Transfert emeritas ad fulcra iugalia rugas.*

8 ¶ Apud † Barbaros, in regione Palmaria in nouo orbe detecta,
ſacerdotes viuunt cælibes & incorrupti, *P. Martyr. lib. noui orbis
9 de inſulis nuper repertis.* ¶ Legimus † tamen ex diſpenſatione ſum-
mi pontificis Reymirium, filium Sanctii, mortuo fratre Alfonſo
rege Aragoniæ, in regem electum, quamuis diu in Gallia in mo-
naſterio ſancti Pontii de Tomeriis religionis ſancti Benedicti ſer-
uiiſſet, & vxorem duxiſſe filiam comitis Peitei, *Franciſ. Tarapha,
lib. de regi. Hiſpaniæ in Alphon. 8.*
10 ¶ Neque † in hac re mores vel corruptelas aliquarum natio-
num, vt Moſcouitarum & Græcorum, qui a Catholica fide erra-
runt, vt docet in religione illorum Sigiſmundus Baro, *lib. com-
mentar. de reb. Moſcouitar.* conſiderare volui: non ſecus ac barba-
rorum, & idololatrarum. Illi enim non pertinent ad iuris noſtri
veram & caſtam tractationem. Neque etiam hic locus poſtulat,
vt caſtitatem impugnantibus quibuſdam leuibus rationibus, lu-
cem ignorantiæ obiiciamus, cum iam D. Thomas egregie in hac
re depugnauerit, & euulſerit illorum ſententias, *D. Thomas, lib.
11 3. contra gentiles, c. 136.* ¶ Omitto † tam turpem quoque legem Vi-
tiſæ refellere Ægyptæ filii regis Hiſpaniæ & Gothorum, quæ in-
ter nefarias leges alias aliquādo indixit ſacerdotibus, vt quot quiſ-
que vellet, aut poſſet alere, vxores haberet, *d. Tarapha, de regibus
12 Hiſpan. in Vitiſa ex Ritio.* ¶ Sunt † alia, quæ matrimonium impe-
diant contrahi publice, vt feriæ, & certa alia tempora, *Panor. cap.
capellanus, de feriis, can. non oportet, 33. q. quarto.* ſi quis vxorem ali-
am vel ſponſam de præſenti habeat, vel ſi qua alium virū vel ſpon-
ſum de præſenti, *vt diximus prohibitas duas vxores, ex cap. fin. de
ſponſal.* Et alia quædam, quæ adfert Angelus Clauaſius, *in Summa
in verbo, matrimonium 3.*

## De ſolutione matrimonii. Cap. 15.

De diuort. & repud. lib. 24. P. tit. 2. Lib. 5. C. tit. 17.
Lib. 4. Decret. tit. 19.

1 *Impedimentum & ſolutio matrimonii in quo differunt.*
2 *Matrimonii ſeparatio quamuis dura, tamen aliquando eam fieri expedit.*
3 *Matrimonium quadruplici iure ſoluitur, natura, iure ciuili, diuino, & pontificio, quomodo.*
4 *Matrimonium ſoluitur natura, morte.*
5 *Matrimonium ſoluitur iure ciuili, morte & captiuitate, ſeruitute, diuortio.*
6 *Solutio matrimonii bona gratia.*
7 *Seruitute dirimitur matrimonium, quomodo.*
8 *Pœna hodie ſeruum ex libero non facit.*
9 *Diuortium ſoluit matrimonium, & vnde dicatur.*
10 *Repudium in ſponſa.*
11 *Diuortium quomodo teſtato fiebat coram ſeptem teſtibus.*
12 *Diuertendi inter abſentes formula.*
13 *Formula diſſoluendi ſponſalia.*
14 *Claues adimebantur, & reddebantur in diuortio. Claues quare vxoribus nuper dictis dabantur.*
15 *Tempore Numæ & ante, Romæ coniugia indiuidua. Diuortium quis primus Romæ fecerit.*
16 *Diuortium iure ciuili quatuor modis inter viuentes coniuges fiebat.*
17 *Diuortium ex conſenſu quomodo fieret, & ex placito & ſublatum.*
18 *Coniugati quando poſſunt ingredi religionem.*
19 *Diuortium ob cauſſam rationabilem, bona gratia.*
20 *Diuortium ſine cauſſa rationabili, in quo punitum.*
21 *Diuertendi cauſſæ legitimæ Iuris ciuilis & diuini.*
22 *Vxores Moſcouitarum ſe contemni putant a viris, niſi verberentur.*
23 *Diuortii faciendi Platonis lex & formula.*
24 *Diuortii cauſſa Perſis, vxorem non facere iuſſa mariti.*
25 *Diuortii etiam cauſſa mores vxoris marito diſplicuiſſe.*
26 *Diuortium & ſeparatio thori ratione adulterii.*

POſt † cognitionem eorum, quæ matrimonium impediūt, faci- 1
lior erit ſolutionis eiuſdem tractatio: nempe quæ affines ma-
xime, & veluti coniunctas habeat cauſſas, niſi quod impedimen-
tum prohibet, ne fiat matrimonium: at ſolutio matrimonium ſte-
tiſſe innuit, aliter, non diceretur ſolutum, *Vlp. in l. Iulianus, 4. &
l. fin. de diuort. lib. 24. P. tit. 2.* ¶ Et † dura quidem ſeparatio patris 2
& filii, virique & vxoris dicitur ab Vlpiano, *in l. quæſitum, 12. §.
ſed an inſtrumenti, de fun. inſtr. & inſtrum. leg. lib. 33. P. tit. 7.* Ve-
rum aliquando eam recipi expedire, interdum vero neceſſarium
viſum eſt.
¶ Fit † autem quadrupliciter eius ſolutio, aut iure naturæ: aut 3
ciuili, diuino, aut pontificio. ¶ Natura, † morte alterutrius con- 4
iugis ſoluitur iugum hoc, non ſecus ac reliqua, *1. ad Corinth. 7. c.
pen. & fin. de ſec. nup. lib. 4. Decret. titu. 21. §. deinceps, de nup. in auth.*
mortalia. Et ita Dominus noſter Ieſus Chriſtus reiecit ignoran-
tiam Sadducæorum interrogantium, cuius futura erat vxor in re-
ſurrectione, quæ ſeptem fratribus nupta fuerat: quod mortuo
marito ſoluta ſit a lege viri vxor, & in alio ſeculo nuptię futuræ nō
ſint, *Matth. 22. Marc. 12. Lucæ 20.* ¶ Iure † ciuili Romanorum 5
quoque & morte fit ſolutio: & vltra captiuitate, ſeruitute alter-
utrius, & diuortio, vt ait Paulus, *l. 1. de diuort. P.*
¶ Captiuitate † dirimitur exemplo mortis naturalis, & bona 6
gratia, ſine imminutione iurium coniugum: quando capto viro
vel vxore ab hoſtibus, exſpectato quinquennio incertum eſt, an
captus mortuus fuerit, vel viuat, ex reſponſo Vlpiani, *l. vxores, l. 6.
eod.* Firmat id Iuſtinianus, *in §. ſed etiam captiuitatis, de nupt. coll. 4.
tit. 1. in auth.* ſi modo inquiſitio diligens facta fuerit, num adhuc
viuat apud hoſtes vir captus, vel capta vxor. Quod ſi captus qui-
dem non fuerit coniunx, ſed peregre profectus, non cenſetur di-
remtum matrimonium, quantumcunque incertum ſit de vita,
& quantumuis diutius abſens fuerit: nec poteſt qui incertus in-
certave de morte alterius eſt, alteri coniungi, antequam certum
de morte habeat teſtimonium, vt placuit nouiſſimis ſanctioni-
bus, *§. quod autem, vt lic. ma. & auiæ, authen. hodie, de repud. C. cap.
in præſentia, de ſponſal. ca. dominus, de ſec. nupt. cap. cum per bellicā,
33. quæſt. 1.*
¶ Seruitus † quoque ſufficere viſa eſt, ſuperueniens alteri con- 7
iugum, dirimendi matrimonii iuſta cauſſa Iuſtiniano, *d. §. ſed et-
iam, de nup. in auth. & §. ſi vero decretum, ca. 2. & fin. de coniug. ſer-
uor.* Obſeruata tamen diſtinctione, de qua egimus in impedimē-
to erroris conditionis perſonæ, in 13. ſuperiori capite. Seruitutem
mortalitati quippe compararunt Iuriſconſulti, *Vlpian. l. cum hic
ſtatus, 33. §. ſi vero donator, de donat. int. vir. & vxor. in P. §. ſi vero de-
cretum, de nupt. in auth. coll. 4. l. ſeruitutem, de reg. iur. P.* Quamob-
rem olim pœnali quoque iudicio, in ſeruitutem pœnæ adiudica-
to altero ex liberis coniugibus, ſoluebatur matrimonium, vt li-
quet ex conſtitutione Conſtantini, *l. res vxoris, 24. de donat. inter
vir. & vxor. lib. 5. C. tit. 16.* veluti ſi in metallum fieret condemna-
tio, vel ad beſtias, quibus libertas adimebatur, *§. pœnæ ſeruus, quib.
mod. ius. pa. pot. ſol. l. aut facta, §. inter eos, & §. quiſquis, & l. qui vl-
timo ſupplicio, & l. quidam, de pœn. in P.* ¶ Quod † tamen iure no- 8
uellarum correctum eſt, cum hodie nemo bene natus, ex pœna
ſeruus efficiatur, *§. quod autem, de nupt. in authen. ſed hodie, de don.
int. vir. & vxor. C.*
¶ Diuortio † deinceps dirimetur iure ciuili matrimonium. Di- 9

uortium

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

uortium dictum eſt ſecundum Caium, *lib.2.de diuort. lib.24.tit.2.*
a diuerſitate mentium, quia in diuerſas partes eunt, qui diſtrahũt
matrimonium. Dicit & repudium in matrimonio, quodq; ad re-
iectionem ſponſæ pertinet, cui nõ diuortium ſed repudium con-
uenit, *d.l.2. de diuort. l. inter diuortium* 191. *de verborum ſignific.*
10 *in P.l. inter ſtuprum, 101. eod.* ¶ Neque † repudiare vxorem, vel ab
ea diuertere quicquam aliud eſt, quam cogitato & deliberate per-
petuam diſſenſionem facere, non calore iracundię, vel alia leui de
cauſſa, in qua perſeuerantia non ſit, *Paul.l.3. & Papi. l. ſi pœnituit,*
11 *7.de diuor.l.quicquid calore, de reg.iur.* ¶ Ideo † teſtato fiebat, corã
ſeptem teſtibus eodem iure, *Paul.l.nullum diuortium.9.de diuort.*
12 Romanis, puberibus, & ciuibus. ¶ Diuertendi † inter abſentes
formula generalis & communis erat, dato libello repudii, in quo
continerentur cauſſæ, ob quas dirimebatur matrimonium, hæc-
que verba, *res tuas tibi habeto: tuas res tibi agito, ca.l.2. §.1. eo.* Sicuti
& meminit Martialis,

*Menſe nouo Iani veterem Proculeia maritum*
*Deſeris, atq; iubes res ſibi habere ſuas.*

Et Apuleius, *lib.5.aſini aurei*, laceſſitum Cupidinem a Pſyche, ſic
ait: *Confeſtim thoro meo diuerte, res tuas tibi habeto: ego vero ſororem
tuam ( & nomen quo tu cenſeris, aiebat ) iam mihi confeſtim arrha
atque iis nuptiis coniugabo.*

13 ¶ Et † in ſponſalibus diſcutiendis, *conditione tua non vtar:* quæ
& inter præſentes, ſicuti inter abſentes pronuntiari poterant, *l.2.
de diuor.P.* Verba illa legum 12. tabul. ſunt, quibus interdum cla-
uium ademtio iungebatur, vt vtrumq; ex Cicerone 2. *Orat. con-
tra Anton.* docetur, qui dum de repudiata Mima ab Antonio agit,
*illam*, inquit, *ſuas res ſibi habere iuſſit, ex 12.tab. claues ademit, exegit*
14 *ſcilicet domo.* ¶ Scribit † namque Sextus Pompeius inſtitutum
fuiſſe Romanorum antiquorum, vt vxoribus primum domum
ingredientibus, claues darent: idque, inquit, ad ſignificandam par-
tus facilitatem. Melius tamẽ & aptius meo iudicio, vt ſymbolum
acciperent, ſe vt matresfamilias in poſſeſſionem, & in rerum ma-
riti communionem ſeu ſocietatem admitti: Nam receptum eſt,
clauibus rerum traditis, res illis concluſas transferri ex ſententia
15 Papiniani, *l.clauibus, 74.de contra.emt.in P.* ¶ Scribit † Plutarchus,
*in compar. Lycurgi & Numæ, & in vitis*, quamuis Numæ viſa fue-
rit intolerabilis communio matrimonii, nihilominus inauditam
tunc & antea fuiſſe ſolutionem: & antiquos memoriæ man-
daſſe, primum, qui diuortium feciſſet, fuiſſe Spurium Coruinum,
qui ſeptima, ſupra centeſimam & trigeſimam, Olympiade, di-
uortium cum vxore fecit, coactus a cenſoribus iurare, liberorum
cauſſa ſe coniugem dimittere: ob quod factum, in perpetuum ex-
oſum a populo fuiſſe. Primam quoque Pinarii vxorem Taleam
nomine, Tarquinio Superbo regnante, aduerſus Gitaniam eius
ſocrum diuortium feciſſe. Et alibi, *Plut.in comp.Rom. & Theſei in
vitis*, non Coruinum quidem, ſed Seruilium Spurium diuortium
primum feciſſe ob ſterilitatem vxoris Romæ ait: atque ex indu-
ſtria eius rei primum auctorem annotatũ, non ſecus ac apud Græ-
cos primus parricida, vel matricida. Sed de eodem eadem refe-
rens Gellius, *lib.4.cap.3.* legiſſe videtur cum Dionyſio Halicarnaſ-
ſeo, *in* 2. Spurium, cui Ruga cognomentum erat: quod & Vale-
rius Maximus probat, *lib.2.c.1.dum agit de primo repudio.*

16 ¶ Diſtrahebantur † autem matrimonia quadrupliciter iure ci-
uili, in vita coniugum: aut ex conſenſu vtriuſque, qui pactis & pla-
citis diuertentium legem accipiebat: aut per occaſionem ratio-
nabilem, quæ bona etiam gratia vocatur: aut citra omnem cauſ-
ſam: aut cum cauſſa rationabili, quæ explicat Iuſtinianus, *§.diſtra-
huntur itaque, de nup.in auth.*

17 ¶ Ex † conſenſu & placito, ſine cauſſa Theodoſius & Valenti-
nianus, *l.ſi conſtante, 9. de repud.lib.5. C.tit.17.* abiri matrimonio
permittebant, & repudium mittere. Quod ſublatum eſt nouella
Iuſtinianea 117. *quia vero & ex conſenſu, conſtit.* 117. *in auth. aut tit.
vt lic.mat.& auia, aut.quod hodie, C.de repud. §.ex quo vero quidã*
18 *in nouel.134.* ¶ Poteſt † tamen & hodie ex conſenſu relinqui co-
habitatio & commixtio, & repudiari conſenſu: ſi alter coniugum
vel vterque, meliorem affectet vitam, *Iuſtinian.l.Deo nobis,42.de
epiſcop.& cler.lib.1.C.tit.6.§.ſecundum occaſionem, de nupt.in auth.
§.irreprehenſibili, nouell.22.& §.prædictis quidem, nouell.117.§.quod
ſi conſtante, nouel.123.ca.1. & ca. 2. de conuerſ.coniug.* remanente
vinculo, nempe quod is qui, vel ea quæ in ſeculo relinquitur, a-
lio arctiorem monaſticam vel eccleſiaſticam vitam profitente,
nõ poſſit alterius thori nuptias, viuente priore coniuge, ambire,
vel amplecti. Quo fit, vt alter illorum ingredi hãc vitam nequeat,
niſi alter quoque voueat caſtitatem, *c. cum ſis, c. 4. ca. ſignificauit,
ca.14.eod. de conu. coniu. c.prudentia. de offic. deleg. vide Ang. Cla-
uaſium in ſumma, in verbo matrimonium 4. nu.9. vide Abb. & Cal-
deri. in ca.1.de conu.coniug.* ¶ Per † occaſionem rationabilem abi- 19
bant, & bona gratia, vt ſupra diximus, captiuitate, quando impo-
tens ad coeundum quis erat, *§.per occaſionem, de nupt.conſtit.22.&
§.ſi vero captiuitatis, eod.* vt ſuperius diximus.

¶ Sine † cauſſa rationabili etiam fieri poterat olim, & a non be- 20
ne conſentiente iugo mittebatur repudium, verum non impune,
ſed ea lege, vt qui abſque cauſſa mitteret, non poſſet intra quin-
quennium a diuortio alii coniungi, *§.ſi vero altera, & § mitiores, de
nupt.in auth.* amitteretque donationem propter nuptias ſi vir eſ-
ſet, vel dotem ſi vxor: mutata tamen nouellarum iure pœna quin-
quennii, *§.quia vero, vt lice.matr.& aui.in auth.coll.8.*

¶ Cauſſa † autem iuſta ſolutionis matrimonii iure ciuili erat, 21
quæ eſſet ex numero expreſſarum a conſtitutione Theodoſii &
Valentiniani, *l.conſenſu, 8.cum ſuis §§.de repud. C.§.mitiores, de
nupt.in authen.* Si vxor ſit adultera, venefica, homicida, plagia-
ria, ſepulcrorum diſſolutrix, ſacrilega, latronum fautrix: ſi extra-
neorum hominum, ignorante vel nolente marito, conuiuia ap-
petat: ſi eodem inuito, ſine iuſta & rationabili cauſſa foris per-
noctet: ſi ſpectaculis & theatralibus ludis, illo prohibente, aſſi-
deat: ſi marito veneno aut gladio inſidietur. Et iiſdem de cauſſis
repudiata, quinquennio etiam alio iubetur abſtinere connubio,
& dotem amittere. Contra, & eadem conſtitutione quoque v-
xor repudium mittebat iuſte marito: ſi is adulter, homicida, ve-
neficus, ſi in principem quippiam moliretur, de falſo condemna-
tus, ſepulcrorum diſſolutor, ſacrilegus, latronum ſuſceptor, ab-
actor, plagiarius: ſi in contemtum vxoris, ipſaq; inſpiciente, cum
impudicis mulieribus, quod etiam maxime caſtas exaſperat, cœ-
tum ineat: ſi vxori inſidietur, gladio, venenove: ſi verberibus,
quæ ab ingenuis aliena ſunt, eam affecerit: atque per idem quin-
quennii tempus tenetur abſtinere alio coniugio, donatione pro-
pter nuptias amiſſa. Perſequitur & cauſſas diuortii receptas olim
Alexander ab Alexandro, *lib.4.c.8.* & Deuteronomii liber, *c.24.*

¶ Verum † Moſcouitis verberum cauſſa, etſi repudium admit- 22
tant non eſſet iuſta cauſſa: quippe quod mulieres ſe contemni a
viris, nec diligi putant, niſi verberentur, vt ſcribit Sigiſmundus
Liber Baro, *in commenta.rer.Rutheno. ſeu Moſcouitar.* ¶ Et † apud 23
Platonem, 11. *de legib.* lex de diuortio hæc eſt, vt ſi vir & vxor, pro-
pter nimiam acerbitatem non conueniant, Decem viri de legum
cuſtodibus qui medii ſint, & decẽ mulieres de curatricibus con-
nubiorum, prouideant. Quorum ſententia, ſi ita conciliati ſint,
valida, & ſtabilis habeatur: ſin autem eorum animi vehementius
iracundia fluctuent, facto diuortio illos, illaſque pro viribus quæ-
rant, qui quæue vtriſque conueniant.

¶ Apud † Perſas, ex lege vxor contumaciter mariti dicto non 24
audiens, repudiari poterat: ſicut & Aſſuerus ipſe rex repudiauit
eam ob cauſſam vxorem Vaſti, in cuius locum ſubrogata Heſter,
*c.1.* vt eius hiſtoria, & Ioſephus, *lib.11.antiq.c.6.* narrant.

¶ Propter † mores etiam improbatos coniugum, ſolutum 25
fuiſſe aliquando coniugium conſtat ex rubrica, de repudiis & iu-
dicio de moribus ſublato, *lib.5.C.tit.17.* Cuius iudicii exempla re-
fert Valerius Maximus, *lib. 6. cap.3.* veluti C. Sulpitium Gallum
repudiaſſe vxorem, quod eam capite aperto foris verſatam co-
gnouerat. Q. Antiſtium Veterem ſuam, quod eã in publico cum
quadam libertina vulgari, ſecreto loquentem viderat, P. quoque
Sempronium Sophum coniugem repudii nota affeciſſe, nihil a-
liud quam ſe ignorante auſam ludos ſpectare: qui caſus & poſtea,
*l.conſenſu, de repud.* inſertus.

¶ Pertinet † ad repudium, lex Iulia de adulteriis: neque enim 26
licet compertam in adulterio retinere, niſi caſtigatam, *l.2. & l.ca-
ſtitati, 9.ad l.Iul.de adult.lib.9.C.tit.9.l.2.§.lenocinii, eod.in P.c.ſi v-
xorem, 32.q.1.ca.3.de adult.Pap.l.mulier, 11.§.fin.ad l.Iulia.de adult.
lib.48.P.tit.5.* Et ſeparatur thorus, *c.præcepit, & c.præceptum, & c.
ſi vxorem quis, 32.q.5.c.omnes cauſſationes, 32.q.7.* poteſtque adul-
teram ita abiicere quilibet, etiamſi ei iurauit nunquam ſe eam re-
pudiaturum: quia ea cauſſa excepta videtur, *c.quemadmodum, ca.
25.de iureiur.lib.2.Decret.c.24.* Sic Suetonius, *in Tiberio.c.35.* me-
minit Tiberium Cæſarem in cauſſa cuiuſdam equitis Romani,
gratiam ei feciſſe iuramenti, vt repudiaret vxorem in ſtupro
compertam.

## Num iure diuino diſſolui poſſit matrimonium.
## Cap. 16.

1 *Lege Moſaica permiſſum diuortium Iudæis improbatum.*

Q

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

2 *Diuortium iure diuino & pontificio nunquam approbatum, ſed prohibitum.*
3 *Diuortio facto propter adulterium, ſeparato thoro alteri etiam innocuus non poteſt nubere: & ibi rationes ab auctoritate, quia relicta nubens mœchatur, quia reconciliari poteſt.*
4 *Diuortio facto ob fornicationem, ſeparatos non poſſe alii nubere, probatio a ſacris patribus.*
5 *Alia ratio a baptiſmo ad matrimonium, pro indiſſolubili copula per adulterium.*
6 *Diuortium apud Moſcouitas excommunicatione prohibitum.*
7 *Morte tantum naturali, ſoluta a lege viri vxor dicitur.*
8 *Auctores qui putauerunt ſeparatos cauſſa fornicationis, poſſe aliis nubere, & eorum reprobationes.*
9 *Diuortium in thoro non fit, etiam inter coniuges adulteros.*
10 *Diuortium ob hæreſin & infidelitatem.*
11 *Separatum matrimonium tanquam nullum, non habet prohibitionem ſemper, quin alii nubere poſſint ſeparati.*
12 *Matrimonium ſeparatur tantum iudicio eccleſiæ, non propria voluntate coniugum.*
13 *Matrimonium non diſſoluitur hodie ob ſterilitatis cauſſam.*
14 *Ancillæ ſuppóſitæ ab vxoribus, prolis cauſſa, Abrahæ & Iacobo, quare.*
15 *Lotharius rex Auſtraſiæ excõmunicatus a ſummo pontifice, quod repudiaſſet vxorem, vt ſterilem, & aliam duxiſſet.*
16 *Diuortii iuris ciuilis cauſſæ ſublatæ.*
17 *Abortum faciens olim repudiari poterat, hodie non.*
*Thuriis diuortia libera, & repetitio matrimonii, dummodo non ſe iunioribus iungerent.*

1 SEd, †nũ iure diuino diſſolui poſſit matrimoniũ, agamus: & certe Moſis decreto permittebatur diuortiũ Hebræis, *c.24. Deut. Ioſeph.li.4 antiq.c.6.* Ibi tamen annotamus permiſſionẽ, non legẽ, nõ approbationẽ: ſicuti multa Deus permittit euenire ob malitiã hominum, *can. hac ratione, 31. q. 1.* quæ proba non ſunt per ſe, ſed ſecundum quid, vt permittit affligi iuſtos, regnare hypocritam, hæreſes, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant. Sic permiſit Deus repudium, ad maius malum vitandum: & ſatius viſum eſt diuortium permittere impiis, & duræ ceruicis hominibus, quam cogi eos inuitos vxores, quas occidiſſent, retinere: Ab initio enim, id eſt, in inſtitutione matrimonii non fuit ſic: ſed quod Deus coniunxit, homo non ſeparabat, vt ipſa veritas docuit, *D. Matth. 19. Lucæ 10. can. quos Deus, 33. quæſt. 2. can. nunquid, 33. q. 1. c. de infidelibus, de conſang. & affinit. ca. inter corporalia, de tranſlat. epiſc.* Et D. Paulus, 1. *Corint. 7. præcipio*, inquit, *non ego, ſed dominus, vxorem a viro non diſcedere, quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari: & vir vxorem non dimittat.*

2 ¶ Conſtituo †autem hic axioma, iure diuino & pontificio, indiſſolubile contractum matrimonium: per illam regulam, quod Deus coniunxit, homo non ſeparet. Vtque non liceat coniuge repudiato, coniugium repetere viuente eo: Nam ſi quis obiiciat antiquum ius diuinum, dixi iam id ad permiſſionem pertinere tantum, & contra vinculum.

3 ¶ Si †quis autem recurrat ad ſeparationem fornicationis cauſſa, euangelica lege permiſſam, audio quidem, ſed de ſeparatione concubitus & thori, non vt alteri, innocens ab adulterio, nubere poſſit, vt quidam rati ſunt. Ea de cauſſa perpendamus verba dominica, dum ait, *Matthæi 5. Audiſtis, quia dictum eſt antiquis, quicunq; dimiſerit vxorem ſuam, det ei libellum repudii: ego autem dico vobis, quicunque dimiſerit vxorem ſuam, excepta cauſſa fornicationis, facit eam mœchari. & quicunque dimiſſam duxerit, adulterat.* Quare ſi cum dimiſſa fit adulterium, ergo manent nuptiæ priores. Sic etiam placuit concilio Tridentino poſtremo, 11. Nouembris anno 1563. ſeſſio. 24. cano. 7. his verbis, *Si quis dixerit eccleſiam errare cum docuit & docet iuxta Euangelicam & Apoſtolicam doctrinam, propter adulterium alterius coniugum, matrimonii vinculum non poſſe diſſolui, & vtrumque vel etiam innocentem, qui cauſſam adulterio non dedit, non poſſe altero coniugum viuente, aliud matrimonium contrahere: mœchari que eum, qui dimiſſa adultera, aliam duxerit, & eam, quæ dimiſſo adultero alteri nupſerit, anathema ſit.* Repete hic D. Pauli, 1. ad Corinth. 7. *Iis, qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio, non ego, ſed dominus, vxorem a viro non diſcedere: quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari.* Perpendo, ſi diſceſſerit, manere debere innuptam, diſcedere autem non poſſe, niſi cauſſa fornicationis, dixit Deus ſuperius, & cauſſa adulterii. Ergo in illa cauſſa reiecta debet remanere innupta, & pariter vir, cui reconciliari poteſt. Dehinc coniungamus cauſſas repudii, & temporis eius, quo permiſſum erat a Moſe, inter quas nemo ambigit fuiſſe adulterium, Domini noſtri cenſurã apud D. Marcum, 10. & inueniemus, quamuis ſubſit cauſſa, remanere inſolubile matrimoniũ. Sic enim ſcribit, *Accedentes ad eum Phariſæi interrogabant, ſi liceret viro vxorem dimittere, tentantes eũ: at ille reſpondit eis, Quid vobis præcepit Moyſes? qui dixerunt, Moyſes permiſit libellum repudii ſcribere, & dimittere. Quibus reſpõdens Ieſus ait, Ad duritiã cordis veſtri ſcripſit vobis præceptum iſtud. Ab initio autem creaturæ maſculum & fœminam fecit eos Deus: propter hoc relinquet homo patrem ſuum, & matrem ſuam, & adhærebit ad vxorem ſuam, & erunt duo in carne vna: itaq; non ſunt duo, ſed vna caro. Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet. Et in domo iterum diſcipuli eius de eodem interrogauerunt eum, & ait illis, Quicunq; dimiſerit vxorem ſuam (vide quid dicat, dimiſerit, quod permiſit in adulterio) & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam: & ſi vxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, mœchatur.* Ex quibus apparet dimiſſionẽ vxoris cauſſa fornicationis, nõ eſſe ſeparationem matrimonii: nam ſi ſeparatio eſſet, non eſſet adulteriũ illius repetitum matrimonium. Item elucet ſeparationẽ thori eſſe tantũ, quia reconciliatio fieri poteſt, vt alii non poſſit nubere quantumuis in-
nocens. ¶ Sic †etiã tradiderunt ſancti, & grauiſſimi patres D. Hie- 4
ronymus, *in Epitap. Fabiolæ, & in c. 5. & 19. Matth.* Orig. 7. *homi. in Matth.* Tertull. 4. *cont. Marcio.* DD. Ambroſ. *lib. 8. ad Rom. c. 7. & in Lucam, lib. 1. c. 4.* Auguſtin. *lib. de nup. & concupiſc. c. 10. & de bon. coniug. c. 7. & lib. 2. ad Collu. & lib. 1. de adult. coniug. ad Pollentium, c. 1. & lib. de ſermo. Dom. in monte lit. P. D.* Chryſoſtom. *Homil. 17. in Matth.* Innocen. 8. *Innocentius 1. in Decre. epiſt. 3. ad Exuperi. epiſc. Tholoſ. c. 6. tom. 1. conci.* Africanus in concilio Mileuitano, *c. 17.* Statuunt idem canones Apoſtolici, *ca. 48. apoſt. tom. 1. conci.* & ſegregari a communione eum, qui dimiſſa vxore, duxerit aliam.

¶ Nec †ita efficax eſt adulterii macula, vt per illam aboleatur 5
ſacramentum hoc magnum: non ſecus, quam Baptiſma, quo coniungitur Deo anima, non ideo ſoluitur, vel amittitur, quod baptizatus in fide mœchetur: ſicut perpulcre docuit in eadem quæſtione D. Auguſtinus, *lib. de bono coniugali.* Refert Sigiſmundus Liber Baro in commentariis rerum Moſcouitarum, Ruthenos, ſeu Moſcouitas, libellum quidem repudii, & diuortii mittere: id tamen maxime celare, quod contra religionem & ſtatuta ſciant: atque Niphontem Epiſcopum Nouogardienſem apud illos Cyrilli cuiuſdam interrogationibus reſpondiſſe, diuortium mittẽtem, perpetuo ab Euchariſtia, niſi iamiam animã efflaturum, ſubmouendum. Sicque tantum morte naturali mulier dicitur ſoluta a lege viri, a D. Paulo, *ad Rom. 7. can. fin. 32. q. 7.*

¶ Sunt †alia plura, quæ in hanc poſſem adferre ſententiam, 6
quæ tamen prætermitto: neque etiam tot adduxiſſem, ni fuiſſet mihi pugnandum cum errore, qui poſtquam a quibuſdam male hac de re ſentientibus fuiſſet inuectus, accepit improuidos aſſeclas, & Melanchthonem, qui in libro cui titulus, *Examen ordinãdorum*, & in additionibus ad ſuos locos communes, & in cap. 5. Matthæi aſſerit, citatque teſtem ſui erroris, Iuſtinum in apologia de vxore Chriſtiana, quæ miſerat libellum repudii viro: quanquam ibi nunquam Iuſtinus dixerit, illam alii nupſiſſe. Trahere etiam nititur, ſed ita appoſite, vt Iuſtinum, in ſuam hæreſin Hieronymum in epitaphio Fabiolæ, vbi iam oſtendimus eum contrarium ſenſiſſe. Sic enim ibi ſcribit ob Oceanum ſcribens de epitaphio Fabiolæ, tomo 1. operum: *Igitur Fabiola (quæ dimiſſo primo adultero marito, ſecundum ſortita erat matrimonium) quia perſuaſerat ſibi, & putabat, a ſe iure virum dimiſſum, nec Euangelii* (notet Melanchthon) *vigorem nouerat, in quo nubendi vniuerſa cauſſatio viuentibus viris, fœminis amputatur, dum multa Diaboli vitat vulnera, vnum incauta vulnus accepit. Sed quid ego in abolitis & antiquis moror: quærens excuſare culpam, cuius pœnitentiam ipſa confeſſa eſt? &c.* quæ ſequuntur apud Hieronymum. Quo etiam Vueſembecius, *in tit. de diuortiis, lib. 24. P. ti. 2. nu. 8. 9.* 10. 11. & citat pro illa erronea ſententia ſummatim cum Hieronymo Tertullianum, Iuſtinum, Ambroſium, Origenem, Auguſtinum, quos docuimus tamen ſententiam hanc improbaſſe: putatque ſatisfeciſſe D. Pauli 1. ad Corinth. 7. *mulierẽ ſolui a lege viri morte*, & alia etiam cauſſa iuſta repudii. Cumque ſe videret incidiſſe in illam ſententiã, *quod Deus coniunxit, homo non ſeparet*: ait, *magiſtratus officio ſeparatum ob adulterium, a Deo non ab homine ſeparatum.* Sed ego nõ video quomodo magiſtratus vel ſuo vel nomine Dei poſſit ſoluere ob adulterium, quod ipſe Deus ob idem adulterium inſeparabile dixit, vt docui. Quocirca ſubſcribo catholicæ eccleſiæ, non poſſe matrimonium ſeparari ob eam cauſſam, niſi in

thoro

thoro & coniunctione. Quod ſi inemendabilis adultera ſit, ad-
ſunt leges quæ poſſunt per magiſtratus, gladio, qui vlciſcitur ad-
ulteria obſtinata & contumacia, vt in pœnis & criminibus dice-
mus, matrimonia vere morte diſſoluere: & tunc innocenti dabi-
tur liber aditus ad alias nuptias. Sic in locis, in quibus delicta o-
dio ſunt, & puniuntur, vtimur. Et ita iubet lex Dei, *Leuit.* 20. *D. Ioan. cap.* 8. *cum ſimilib.* adulteria tolli, non tolerari, vel dari anſam
ſcortationis liberæ. Quod ſi ad indulgentiam confugiamus ec-
cleſiaſticam, reconciliationem potius cum D. Paulo ſuademus,
ne ſeparati delinquãt maiorem in modum, aut per nouas nuptias:
& vitæ ita procuramus emendationem, quam ſi deſperamus, & ſi
eccleſiam non audierit ſeparatus, detur temporalibus iuriſdictio-
nibus, ſitq; tanquam ethnicus. Nec etiam admitto dimiſſionem
hanc eſſe repudium ſolutionis, ac illud, per quod olim ſoluebatur
matrimonium. Siquidem nunquam legimus, *Deut. cap.* 24. inter
cauſſas repudii, cauſſam adulterii: nam vbi adulterium commiſ-
ſum erat, non repudium erat pœna, ſed mors, *Deuter. c.* 22. *Ioan. c.* 8. Idcirco leue argumentum hoc, inhærere verbis, *excepta cauſ-
ſa fornicationis*, quæ ad dimiſſionem, non ad repudium referri po-
teſt. Vocamus autem illam dimiſſionem, ſeparationem: quam
iura in adulterio pontificia tradunt faciendam, *ca. intelleximus, & cap. fin. de adulter.*

9 ¶ Obſeruant † & iuris pontificii leges, vt adulterio ſeparari et-
iam nequeant, ſi vterque coniugum ſit adulter, *c. fin. de adulter. ap. Greg. l. viro & vxore, ſol. matrim. in P.* item vt conuenire ii cogan-
tur. Sic enim Nicetas Metropolitanus Heracleæ interrogatus a
Conſtantino epiſcopo, lib. 3. iur. orientalis reſpondit: *ideo non ſe-
parari matrimonium eius, qui longe ab vxore profectus, concubinam
habuerit, nec liberam eſſe vxorem, vt poſſet alium ducere, ſed a concu-
bina diſcedere debere.* Facit cap. ex literis, de diuortiis. Et certe, *can. Apoſtolus, & can. omnes accuſationes, 32 q. 7. & tota, ead q.* ſi accu-
ſatione adulterii ita facile ſolueretur matrimonium, futurum eſ-
ſet nouarum nuptiarum cupiditate impellente, calumniis, falſiſ-
que delationibus opprimenda eſſe matrimonia.

10 ¶ Quomodo † autem fiat diremtio thori etiam ob hæreſin, vel
infidelitatem coniugum, cum iuribus aperte contineatur, *c. 2. de
diuor. & c. gaudemus, & c. quanto, eo. & tota 28 q. 1.* non vltra im-
morabor: referam tantum exemplum, quod in iure orientali re-
fertur, *lib. 2. iur. Orient. in conſtitutionibus Theodoſii Patriar.* quod
tempore Theodoſii Patriarchæ Conſtantinopolitani Baſilius
buccinator quidam ſeparatus eſt a ſua infideli vxore, poſtquam
baptizatus fuerat, decreto patriarchali, vtpote quæ a viri ſuaſione
induci non poſſet, vt baptizaretur.

11 ¶ Perſtringam † autem alios caſus, quibus licet coniugibus ſe-
iunctis ab inuicem, aliis nubere, alia regula. Vt quando matri-
monium hoc ita dirimitur facto: intelligamus non tam dirimi,
quam contractum antea nullum declarari. Quo loco caute qui
præſunt foro matrimonii, vtuntur his verbis, non fore matrimo-
nium, vel nullum dicere ſolent propter impedimentum iuris vel
facti, quod prohibebat coniunctionem, etſi coniunctio corpo-
ralis ſecuta ſit: non enim ſola corporum coniunctio, vt diximus,
matrimonium facit, *c. non omnis mulier, 32. q. 2.*

12 ¶ Separatur † & matrimonium aliquando, non propria volun-
tate, ſed epiſcopi notione inter conſanguineos in gradibus pro-
hibitis initum, *c. 3. de diuor.* verum ſi copula fuerit ſecuta, non da-
tur licentia ad alia coniugia tranſeundi, *ca. multorum, & cap. ab
iſto die, in 1. 35. q. 6.*

13 ¶ Hodie † propter ſterilitatem non licet repudiare vxorem,
exceptis, vt diximus, cauſſis frigiditatis & maleficii præcedentibus
matrimonium, inſciis cõiugibus, quæ impediebant ne fieret ma-
trimonium: ſiquidem ſola proles non eſt cauſſa efficiens, vel fina-
lis matrimonii, *ca. ſolet quæri, 32. q. 2. can. non enim 32. q. 1. c. tantum,*
14 *32 q. 4.* ¶ Neque † nos moueant exempla Abrahæ & Saræ ſteri-
lis, ob cuius ſterilitatem permiſit Sara cohabitare ancillæ Agar,
*Geneſ.* 16. & quod Rebecca & Lia prolis cauſſa, etiam ancillas ſup-
poſuerunt Iacobo, *Geneſ.* 29. Nam ea ad myſterium quoddam, &
prolis augendæ cauſſa pertinent. Ex quo tempore puſillus grex
erat Dei, *D. Ambroſ. lib. de Patriarch. & can. dixit Sara, 32. q. 4.* per-
miſſa, non probata fuerunt: nam & bigamia Lamech in eadem le-
ge naturæ improbata, & fornicationes inhibitæ. Quæ reuelato
lumine æternæ veritatis, lege euangelica nobis ſingulari Dei be-
15 neficio innotuerũt. ¶ Lotharius † Auſtraſiæ ſeu Lotharingiæ rex,
tempore Caroli Calui regis Gallorum, circa annum Domini 841.
duobus epiſcopis regni ſui auctoribus, Guuthario Agrippinen-
ſium, & Tergando Treuirorum, cum vxore ſua Teiberga diuor-
tium fecit, quod eam diceret ætate prouectam, ac ſeram ad pro-
lem ſuſcipiendam, adulterii etiam eam arceſſens, idque corruptis
iudicibus, ac teſtibus: Valdradamq; florentiſſima ætate, ſpecieq;
egregia duxit. Verum cum admonitus a ſummo Pontifice perſta-
ret in amentia, communione piorum ei interdictum eſt: Epiſco-
pi, quod connubium diremiſſent, e gradu dignitatis deiecti ſunt,
vt ait Paulus Æmilius *in Carolo Caluo.* Et de hac eadem quæſtio-
ne in can. Lotharius, 31. q. 2. ¶ Ceſſant † & hodie imperatorum 16
cauſſæ diſſoluendi matrimonii, quæ ob crimina alterius coniugis
inducebantur, *cap. 2. de diuor. can. in coniugio. 22. q. 1. can. ſi vxorem
quis, can. præcepit, cap. præceptum, 32. q. 5.* ¶ Neque † obſeruatur 17
conſtitutio Iuſtiniani, *§. has itaque cauſſas, de nup. in auth. coll. 4.* &
Leonis Cæſaris, quæ faciebat poteſtatem dirimendi matrimonii,
cum ea muliere, quæ ſponte abortum fecit, de qua meminit Har-
menopulus, *lib. 4. tit.* 12. quam pontificia iura tollunt, *ca. aliquan-
do, cum duob. ſeq. 32. q. 2.* Legimus, *Diod. Sicul. lib. 12. Bibliothec.* a-
pud Thurios legem modificatam, qua ius vxori permittebatur a
viro, vbi viſum eſſet diſcedere, viroque alteri cuicunq; collibuiſ-
ſet, conſueſcere: adiectumque, vt relicto priore viro cuicunq; col-
libuiſſet, non liceret ſe iungere iuniori, pariter nec ſi vir vxorem
eieciſſet, non liceret ſibi iuniorem iungere.

## De his quæ accedunt matrimonio, Dote, Antiphernis, Paraphernis. Cap. 17.

1 *Maritus decipitur, ſi cogatur indotatam vxorem habere.*
2 *In nuptiis dos interuenit, non neceſſario, ſed alia ratione.*
3 *Dotis nomen vnde.*
4 *Dotes rerum quid.*
5 Φερνὴ *quid.*
Προῖκα *quid.*
6 *Antipherna quid.*
Προὶξ *&* ἕδνα *quid.*
7 *Parapherna quid.*
*Peculium Gallis parapherna.*
8 *Vxor quæ habet cenſentur eſſe ex bonis mariti, niſi de contrario conſtet, & quare.*
*Maritus paraphernalium vxoris iure cenſetur procurator, niſi ea prohibeat.*

MAritus, inquit Paulus Iuriſconſultus, ſuum negotium gerit, 1
cum de dote ſibi cauet: & decipiendus non eſt: quod fit, ſi
cogatur indotatam vxorem habere, *Paul. in l. ſi donaturus, 9. §. ſi
quis indebitum, de condict. cauſſ. dat. li. 12. P. tit. 4.* ¶ Proinde † in nu- 2
ptiis pangendis, vt plerunque dos aliqua interuenit, etſi neceſſa-
rio non deſideretur, niſi quia probat dilucidius matrimonium, *c.
Lotharius, 31. q. 2. cap. per veſtras, de don. int. vir. & vxor.* Quamob-
rem de ea dicenda eſſent pauca, ſed forſan plura, cum hodie in
coniugiis potius de dote, quam de moribus agatur, veriſſimum-
que quod Saturio paraſitus apud Plautum ait filiæ, *in Perſa actu 3. ſcena 1.*

*Tace ſtulta, num tu nunc hominum mores vides*
*Quotuſmodi? Hic cum mala fama facile nubitur:*
*Dum dos ſit, nullum vitium vitio vortitur.*

Et vix ſine dote nubitur, vt innuit Ouid. 2. *de remed. amor.*

*Cur nemo eſt Hecalem, nulla eſt quæ ceperit Irum?*
*Nempe quod alter egens, altera pauper erat.*

Sic auro conciliatur amor. Sed vt ait Propertius, *in 3.*

*Aurum lex ſequitur, mox ſine lege pudor.*

Et Iuuenalis, *Satyr.* 6.

*Optima ſed quare Cenſennia teſte marito?*
*Bis quingenta dedit, tanti vocat ille pudicam.*

Et vt aiebat Lycon Troadenſis apud Diogenem Laertium, *lib. 5.
in Lyco.* graue eſt onus patri puella præ dotis inopia excurrens in
flore ætatis. ¶ Dos † nomen a Græcis mutuatum, & pleraque alia, 3
eſt: atque a verbo δίδωμι, vel a διδόω, quod eſt dono, largior: vnde
fit poetice δὼς, indeclinabile Laſcaro, idẽ quod δόμα ſeu δόσις da-
tio, vt apud Heſiodum, *in Ergis.*

Δὼς ἀγαθὴ, ἅρπαξ τε κακὴ, θανάτοιο δότειρα.
*Donatio bona, rapina vero mala, & mortem donans lethifera.*

Et Manuel Moſcopulus, περὶ σχεδῶν. δωτίνη ἡ δωρεὰ, δὼς τὸ αὐτό.
Adſtipulatur M. Terentius Varro, 4. *de ling. Lat. Dos,* inquit, *ſi nu-
ptiarum cauſſa data, hoc Græce* δωτίνη*: ita enim hoc Siculi vſi ſunt, ab
eodem & donum.* Sic & antiqui iuris conditores, dotes connume-
rant, *l. ſi. de donat. ant. nupt. C.* inter donationes. ¶ Dicunt † & ac- 4
ceſſiones rerum proprias dotes, Græcis ἐνθῆκαι. Sic Ouidius, *in e-
piſt. Sapphus ad Phaonem.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Sed non inuenio dominum ſyluæq; meumq;:*
*Vile ſolum locus eſt, doſ erat ille loci.*

Et Varro, *lib. 4. de re ruſt.* vineam cum ſua dote, dicit, id eſt, cum ſuis pedamentis & viminibus. Papin. quoq; *l. 2. §. 1. de inſtit. vel inſtru. leg. lib. 33. P. tit. 7. dotes prædiorum*, inquit, *quæ Græcorum vocabulo ἔνθηκα appellantur, cum non inſtructa legantur, legatario nõ præ-*
5 *ſtantur.* ¶ Dixerunt † & dotem ſacrorum bibliorum ſeptuaginta interpretes Græci, φερνὴν: ſic enim in Exodo apud illos loquitur, de violata. φερνῇ φερνιεῖ αὐτὴν ἑαυτῷ εἰς γυναῖκα, *dote dotabit eam (& habebit) ſibi in vxorem*, vbi Hebræi habent מוהר *mochar*, pro dote, quam quoque a datione vocant etiam, מתן *mattan*. Iul. Pollux, *lib. 3 Onomaſt. c. 3.* etiam id docet, dum ait, λέγοις δ' ἂν προῖκα καὶ φερνὴν τὴν παρὰ τῆς γυναικὸς δόσιν· Αἰσχίνης γὰρ ὁ ῥήτωρ, τὴν προῖκα φερνὴν καλεῖ, id eſt, *dixeris vtique* προῖκα *dotem & phernin, id quod a muliere datur: Æſchines enim orator, & proica vocat phernin*. Et Manuel
6 Moſcopulus phernin a φερνῶ dici voluit. ¶ Hincque † antipherna, quaſi contra dotalia, vel dotalibus appoſita dixeris, donatio ſcilicet, propter nuptias, ad æqualitatem doti præbendam facta a marito vxori, *l. ſi. de dona. propt nup. C.* de qua ſupra in ſponſalium acceſſionibus. Proprieque dicitur quod ab vxore marito defertur
7 προὶξ, contra a marito vxori, ἕδνα. ¶ Hinc † quoq; parapherna, vocantur bona mulieris, aliunde quam ex dote ſibi aduentitia, quæve in dote non fuerunt data, Galli vocant peculium vel bona peculiaria, vt tradit Vlpia. *l. ſi ego 10. §. dotis autem, de iur. dot. lib 23. P. tit. 1.* Poteſt enim vxor extra dotẽ res alias habere, vt monet Scæuola, *l. pen. ad l. Falci. lib. 35. tit. 2.* Vocat Harmenopulus, *lib. 4. tit 9.*
8 ἐξώπροικα καὶ παράφερνα. ¶ Oportet † autem perſpicue conſtare, vt hæ mulieris cenſeantur, alioqui mariti præſumuntur eſſe, & ex eius bonis quæſitæ, quæ præter dotem ab ea poſſidentur, vt euitetur turpis lucri ſuſpicio, *l. Quintus Mutius, de don. int. vir. & vxor. lib 14. P. tit. 1. l. etiam, 6. eod. lib. 5. C. tit. l. 16.* Recepta etiam ſententia, qua vxor non tenetur operari marito, & ideo, quæ ex bonis mariti quærit, illi cedunt, *l. ſicut, de oper. libert. P.* niſi aduentitia aliunde doceat, quæ tunc marito non quæruntur, ſed vtilitati mulieris, *d. l. pen. ad l. Falci. P.* niſi aliud inter coniuges conueniat, *d. l. ſi ego, §. dotis autem, de iur. dot. P.* Quanquam in paraphernis mulieris, vir quoq; cenſeatur iure eſſe adminiſtrator & procurator, præterquã ſi nominatim & expreſſe vxor inhibeat, vel nolit, *Theodoſ. & Valenti. l. hac lege, 8. de pact. conuen. lib. 5. C. tit. 14. l. maritus, 21. de procur. lib. 2. C. tit. 13.*

## De dotis finitione. Cap. 18.

1 *Dos quid.*
2 *In dotem res communes dari poſſunt, quæ prohibitionẽ non habẽt.*
*Dotales res æſtimatæ & inæſtimatæ quæ & quomodo reſtituendæ.*
3 *Dos conſtituitur traditione, & promiſſione.*
4 *Dos a quibus conſtitui poſſit. Dotes aut profectitiæ aut aduentitiæ.*
5 *Dotare filiam paternum officium, quare qui eam dotat, non de filiæ, ſed de propriis cenſetur dotare.*
6 *Dotare filiam, quando matris officium.*
7 *Dotare ſororem quam, & quando frater teneatur.*
8 *Eccleſiaſticæ perſonæ tenentur ſubuenire proximis, pro modo eleemoſynæ.*
9 *Differentiæ quædam inter conſtitutionem dotis factam a patre, & ab extraneo.*
10 *Dotes vxoribus dabant mariti Cantabri.*
11 *Dotis dominium quomodo tranſeat in maritum.*
12 *Dos pro oneribus matrimonii ſuſtinendis datur.*
*Fructus dotis in dotem conuerti nequeunt.*
*Dos optima vxor bene morata Num 15.*
*Vxores diuites & pulcræ, vitandæ.*
13 *Dotes nullæ ſunt nuptiarum apud Sopitas.*
14 *Græci vxores emebant.*
16 *Dotes legibus Solonis a matrimoniis ſublatæ.*
17 *Dotes Spartiatis etiam nullæ.*
18 *Dotes apud Maſſilienſes maiores tantum centum aureorum.*
19 *Dotes filiarum quæſtorum regiorum, ne excedant decimam bonorum eorum partem.*
20 *Dotes nullæ dantur apud Indos.*

1 DOs † eſt, res omnis tradita, vel promiſſa a patre, vel alio, mari-
2 to, pro ſubeundis oneribus matrimonii. ¶ Dico † rem omnem hic dari in dotem poſſe, ſcilicet idoneam, *l. vt gradatim, de muneri. in P.* quæ a commercio non ſit aliena, quæve prohibitionem traditionis vel promiſſionis non habeat. Quamobrem omnia bona ſua mulier in dotem dare non prohibetur, *l. mulier bona, de iure dot. lib. 23. P. tit. 3. l. nulla lege, 4. eod. titu. lib. 5. C. titu. 12.* Dantur & mobilia, & immobilia, *vt conſtat ex lectione tit. de iure dot. & de dot. promiſſ.* & res, quæ in Pondere, Numero, Menſurave conſiſtunt: quæ ſunt periculo ipſius mariti, *Caius, l. res in dotem, 43 de iure dot.* qui eiuſdem qualitatis, quãtitatiſq; reſtituit, *l. cũ quid, ſi cert. pet. P.* cum oportet: & nomina debitorum, ſcilicet nobis debita, quorum nomine & actiones vtiles tranſeunt in maritum, *l. 2. de actio. lib. 4. C. tit. 10.* Dotaleque prædium accipere debemus, tam vrbanum, quam ruſticum, & id cuius dominium ad maritum peruenit, *Vlp. l. ſi dotale prædium, 13. & Paul. in l. ſi nuptura, 14. de fund. dota. lib 23. P. tit. 5.* Dantur & Æſtimatæ, & Inæſtimatæ res: inæſtimatæ tales reſtituuntur ſoluto matrimonio, quales tunc inueniuntur, cum reſtituere expedit, nec iactura ſeu detrimentum, vt nec lucrum accedens, ad maritum, ſeu eius heredes, ſed ad vxorem, eiuſque ſucceſſores pertinet, *Vlpia. l. plerunque, 1. de iur. dot. lib. 23. P. tit. 3. l. vni. § cumque ex ſtipulatu, de rei vxo. act. lib. 5. C. tit. 13.* argumento creditoris, qui in pignore, quod penes ſe habet, hoc iure vtitur, *l. pignus, 8. de pigno. acti lib 4. C. tit. 24. l. quæ fortuitis, 5. eod. tit. §. fin. quib. mod. re cont. obliga. §. cum autem, de emt. l. quod te, ſi cert. peta. in P. l. ſi ex legati cauſſa, de verb. obliga. in P. cum ſimil.* Æſtimatarum autem rerum pretium conuentum, ſi attritæ ſunt, reſtituẽdum eſt, & augmenta pertinent, compendia, & fructus, & partus interim etiam ad maritum, *d. l. plerunque, de iur. dot. Dioclet. & Maxim. l. cum dotem. 10. eod titu.* ſi placuerit rem æſtimatam ſoluto matrimonio reſtitui: nam ſi non placuerit, & iure æſtimatæ res fuerint, retinebit eas maritus vel heres, ſi pecuniam offerant, vtrique erit electio, *Imp. Alex. l. quoties, 5. de iur. dot. C. l. ſi res, §. 1. & l. plerunque, eod tit. in P.* niſi ea mente fuerit facta æſtimatio, vt rei detrimenta ſupplerentur pretio in reſtitutione rei, quod inde colligitur, ſi dictum fuerit res æſtimatas reſtituendas, quando reſtitutio facienda erit. Prohibet enim reſtitutionis in indiuiduo adiectio, æſtimationem facere emtionem, *l. ſi inter virum, 21 C. eo d. l. plerunque, §. pen. & l. cum poſt, §. cumque, eod. l. ſi æſtimatis, ſol. matri. in P. cum ſimilib.* quum tamen aliter æſtimatio emtionem factam rei doceat, *Pompon. in l. cum fundus, 3. loca. lib. 19 P. ti. 2 Pap. l. quoties, 17. de iur. dot. in P.* Sed inæſtimatis pereuntibus dolo malo, vel culpa mariti, maritum teneri damnum reſarcire placuit, *Labo. l. pen. 67. ſolut. matr. in P.* ¶ Meminit † finitio no- 3
ſtra, traditionis, & promiſſionis: vt intelligamus conſtitui poſſe dotem traditione, *l. fin ſolut. matr. lib. 5. C. tit. 18. Alex. l. legem quam dixiſti, 10. de pact. C. l. 1. C. de pact. conuen.* & promiſſione, *l. ſi voluntarie, 4. de dot. promiſſ. lib. 5. C. tit. 11.* Proinde nomina in ſolutum data, vel acceptilatione remiſſa, pro traditione dotis habentur, *l. licet, 44. §. 1. & l. promittendo, 42. de iur. dot. in P.* neque numerationem ſemper exigimus, ſed cautionem, id eſt, promiſſionem, *l. ſancimus, de verb. ſign. C.* ſufficere etiam arbitrabimur ad dotis exactionem, *l. 3. & l. ad exactionem 6. de dot. promiſſ. lib. 5. C.* ſi certæ ſummæ promiſſio ſit, non aliter, *l. 1. eodem.* Vel ſi in arbitrium boni viri relata certitudo vel promiſſio ſit incertæ dotis, a patre vel ab eo qui tenetur dotare. Velut arbitrio boni viri æſtimanda, ſecundum qualitatem perſonæ de cuius nuptiis agitur, & ſecundum facultates conſtituentis, *l. nam dementis, de epiſcop. audi. C. l. quæro, de iur. dot. in P. l. cum poſt, §. gener a ſocero, eo. tit.*

¶ Dicimus † etiam in finitione, a patre, vel ab alio dari, con- 4
ſtituive dotem poſſe: nihil enim intereſt, quod pertinet ad dotis cauſſam, a quo promittatur, vel detur, aliarum autem circumſtantiarum intuitu plurimum, vt prope infinitis iuribus, quæ occurrunt in titulis de iure dotium, & ſolut. matrimon. &c. apparet. Aliaque natura eſt dotis, quæ a patre datur, quæ profectitia dicitur: alia, quæ aliunde aduentitia eſt, *l. profectitia, cum ſuis §§. 5. de iur dot. P. l. ſi in dotem, de collat. C.* Et inde etiam duæ ſpecies dotium conſtituuntur merito, aduentitiarum & profectitiarum. Et in ſumma, omnes quidem, cuiuſcunque ſexus ſint, promittendo dotem, obligantur, *l. promittendo, 42. de iur dot. P. l. fin. ad S.C. Vellei. C. l. ſi dotare filiam, eod.* quia in ea dotis promiſſione, ſpecies verſatur pietatis, *Iulia. l. cum is cui, 32. §. ſi mulier, de condict. indeb. lib. 12. P. tit. 6.*

¶ Veruntamen † diuerſa conſideratione: nam paternum eſt 5
officium dotare filias, & quærere filiis conditionem, *l. qui liberos, de rit. nupt. in P.* Ideoque conſtituens dotem filiæ, quæ bona habeat, aliunde propria, de ſuo, non de filiæ patrimonio, conſtituiſſe intelligitur, *l. fin. de dot. promi. C. l. profectitia, de iur. dot.* Quod diuerſum eſt in extraneo adminiſtratore bonorum mulieris, pro qua dotem conſtituendo, non ex ſuis, ſed mulieris facultatibus, conſtituiſſe cenſetur, *glo. in d. l. fin. de dot. promiſ. arg. l. Nezennius*

Apollina-

*Apollinaris, de negot.geſt.in P.& l.cum poſt mortem 44.§.1 de admi.*
6 *tut.lib.26.P.tit.7.* ¶ Officium † enim extranei non eſt dotatio, ne-
que etiam Matris, niſi vel ex cauſſa graui, vel lege aliqua cogere-
tur, *l.neque mater, de iur. dot. C.* cauſſa autem poſſet eſſe magna &
grauis, ſi mater ſit diues, pauper & inops pater. Tunc enim & ale-
re, & dotare teneretur, *l.pen. de lib. agnoſc.* potiſſimum cum Orfi-
ciano & Tertulliano SC. receptum ſit, *tit.de S.C Orfic.& Tertull.*
*in P.C.& Inſtit.iur.ciu.* vt filius & mater mutuo in legitima ſucce-
dant, & dos ſuccedat in locum legitimæ, *l.quoniam nouella, de in-*
*offi.teſt.C.Bar.in l.Titio centum, §.Titio genero, de cond. & demonſt.*
*Pau.Caſt.conſ.206.alias* 211.*Bald.in l.quoniam in prioribus, de inoff.*
*teſta.C.Salic.in l.ſancimus, C.de nupt.Nic.Boerius, deciſ.104.nu.12.*
*& q.62.num.6.* Et lege olim mater hæretica filiam catholicam do-
tare cogebatur, quod tamen deinceps emendatum eſt, eo quod
bona fiſco deferrentur, *l.cognouimus,* 10.*§.ſed ne, de hæret.lib.1.C.*
7 *titu.* 8. ¶ Sic † & frater, tantum inopia vrgente tenetur dotare,
*auth gazaros, eod.* ſororem vtroque parente coniunctam, quia &
frater tenetur, & cogitur alere eam ſororem inopem, vt conſen-
tiunt interpretes, *l cum plures, 13.§.cum tutor, iun.glo.in verbo, alio*
*patre, de admin.tut.lib.26.P.tit.7.notat glo.fin.in l.non omni eod. C.in*
8 *verbo donandi.* ¶ Potiſſimum † ſi clericus ſit & perſona eccleſia-
ſtica frater, qui ſubuenire debet proximis, non quidem ſplendi-
de, neque diuitibus, ſed pauperibus & pro modo eleemoſynæ, *gl.*
*1.in l.1.& ibi Bart.& Cyn.de alen.lib. C.glo.in l.ſi quis a liberis, §. v-*
*trum, in verbo iuſte, de liber.agnoſ.& ibi Bar.Iaſon.in §.ſed & ſi quis,*
*de actio.* Bona quippe pauperum ſunt, *Panor.in c.peruenit, de ar-*
*bitr.facit c.1.de cohab. cler.& muli.can.aurum, 12.quæſt.2.cum ſim.*
neque improbata eſt caritas quæ a ſeipſo & ſuis orditur, *l.præſes*
*prouinciæ, de ſerui.C.can.non ſatis, 86.diſtin.* Receptumque eſt cle-
rico dari beneficium, vt ipſe & ſui ſufficiens poſſit habere ſubſi-
dium, *can.ſtudeat, 50.diſtin.* Neque quiſquam vnquam carnem
ſuam odit, ſed fouet & nutrit illam, *can.non æſtimemus, 13.quæſt.2.*
Non indigentibus autem proximis, illicitum eccleſiæ bona elar-
giri, *can.de Syracuſana, 28.diſt.* Et ſic nec frater a ſorore, nec alius
extraneus, eo iure quo pater, dotem dant. Sunt autem hic extra-
nei omnes, præter patrem, qui habet liberos in poteſtate, dicti, *l.*
*vnic.§.extraneum, de rei vxo.act C.*

9 ¶ Et † in his inſignis eſt differentia inter conſtitutionem dotis
factam a patre, & aliis: ſicut & alia, vt hodie extraneus dotem pro
aliqua promittens ſimpliciter, ſi non proſpexerit ſibi reſtituen-
dam iri poſt mortem, vel in caſum alium reſtitutionis faciendæ,
videatur donaſſe, competitque ſoli mulieri, heredibuſque eius,
non conſtituendi repetitio, *l.vni.§ repet.tit.eo.* Neq; ſufficit quo-
que in vnum caſum ſolutionis matrimonii, reſtitutionem pepi-
giſſe mortis vel diuortii, ſi velit extra pactum repetere: ſed opor-
tet paciſci in vtrumque, ſi quis pro vtroque agere ſperet, *l.ſi cum*
*dotem, 23.ſolut.matr.lib.24.P.tit.3.iunctis diſtinctionibus, glo.* At
dos a patre profecta, natura, niſi aliud placuerit, filiæ famil. data, in
caſu vtroque reſtitutionis, ad patrem redire debet, *l.dos a patre, C.*
*ſol.matr.& l.ſi ab hoſtibus, eod.in P.l.iure ſuccurſum, 7.de iur.dot.*
*lib.23.P.*

10 ¶ Dictum † marito dari ab vxore, vel eius nomine dotem, ſe-
cundum mores communes: fuerunt namque nationes, quibus
diuerſum ius, vt potius mariti darẽt dotes vxoribus, vt apud Can-
11 tabros, *Polyd.Virg.lib.1.de inuent.rer.c.7.* ¶ Adiecimus † dehinc,
dari marito dotem, quia & dominium penes ipſum pendẽte ma-
trimonio reſidet, *l. doce ancillam, 9.de rei vindi.lib 3. C.titu.32.*
daturque ea mente, vt apud illum ſit perpetuo, *l.1.de iure dot.in P.*
hoc eſt, durante matrimonio. Sic Vlpianus, *l.dotale prædium, §.do-*
*tale, de fund.dot.P. dotale prædium intelligimus cum dominium ma-*
*rito quæſitum eſt propter vxorem, l.ſi nuptura, 14.eod.* Dominium
autem hoc in maritum tranſire videtur iuris ſubtilitate, quamuis
natura dos in dominio vxoris remaneat, vt ideo alienari, vt aliena a
marito, non poſſit, vel obligari, vt expreſſe ſcribit Iuſtinianus, *l.in*
*in rebus 30. C. de iur. dot.* Ni malimus dicere, vxoris dotis domi-
niũ dici, habita ratione futuri, quod ad eam ſit reuerſura: vt filius,
viuente patre quoque dominus bonorum patris, quia ſucceſſu-
rus certo ſit, *l.in ſuis, de lib.& poſth.P.& l.in ſuis, de ſuis & legit.in*
*P.* alioquin enim, iure in ſolidum duo eiuſdem rei domini eſſe ne-
queunt, *l.ſi vt certo, §.ſi duobus, commod.P.* Sic magis ex perſona
vxoris dominus maritus, Vlpianuſque ideo acceſſiones dotis, vel
vxori, vel viro competere ait, *Vlpia.l.Pomponius, 13.§.in dotem, de*
*acq.poſſe.lib.41. P.tit.2.* nec id mirum, quia duo ſunt in carne vna,
& vere communia habent omnia, ita & dominium dotis.

12 ¶ Poſtremo † in finitione dicimus, pro oneribus matrimonii
dari dotem marito, ſcilicet, vt ex fructibus dotis ſuſtineantur, *l.*
*pro oneribus, 20.de iur.dot.C.l.dotis fructus, 8.eod.in P.c.ſalubri-*
*ter, de vſur.cap.per veſtras, de don.int.vir.& vxor.Paul.l.ſi mari-*
*tus, 47.famil.erciſc.lib.10.P.tit.2.* vt nec illi in alios vſus conuer-
ti poſſint, neque in dotem, *Vlpian.l.4.de pact.dot.P.* niſi ante nu-
ptias percepti, *l.videamus, 239.§.fin.de vſur.P.* neque mulier pa-
cto retinere ſibi eoſdem poſſit, *l.quæris, 28.de pact.lib.23.P.tit.4.*
*§.dotes autem, de nupt.in authen.* niſi ipſa ſe alat, *Vlpia.l.ſi filia, 20.*
*§.1 famil.erciſc.lib.10.P.titu.2.& Paul.in l.ſi is, qui Stychum, l.57.de*
*iur.dot in P.Vlpian.l.ſi quis pro vxore, 22.§.fin.de donat.inter vir.&*
*vxor.lib.24.P.titu.Paul.l.ſi pater dotem, 12.de pact.dotal.P.* Non
imus tamen inficias, etſi dos non ſit ſine matrimonio, *l.3.de iur.*
*dot.in P.l.dotis promiſſio, 69.eod.l.inceſtæ, de rit.nupt.P.l.3.de pri-*
*uil.credit.in P.cum ſimil.* tamen ſine dote matrimonium eſſe poſ-
ſe, *l.fin.C.de repud.l.fin.C.de donat.ante nupt.* Siquidem & vt ait
Horatius, *lib 3.Car.ode.24.*

*Dos eſt magna parentum*
*Virtus, & metuens alterius viri*
*Certo fœdere caſtitas.*

Et Plautus, *in Aulular.*

*Dummodo morata recte veniat, dotata eſt ſatis.*

Et Bias apud Auſonium,

*Quam dos matronis pulcerrima, vita pudica.*

Imo conſultius quidam virum agere exiſtimant, ſi indotatam v-
xorem accipiat, & a diuite abſtineat. Nam, vt ait Franciſcus Pe-
trarcha, *lib.1.de remed.vtriuſ.fort.dial.64.* dos & forma ſuperbiæ
coniugalis ſunt ſtimuli: & vnde dos ingreditur magna, inde liber-
tas egreditur mariti, quæ ſi cara illi fuiſſet, vllo pretio vendita
non fuiſſet. Mutuatum id eſt ex Plauto, *in Aſinaria,* dum ait,

*Argentum accepi, dote imperium vendidi.*

¶ Sopitæ † populus Indicus, in matrimoniis contrahendis, ne- 13
que dotis, neque magni apparatus, ſed formæ tantum & proce-
ritatis corporum rationem habent, teſte Diodoro Siculo, *lib.12.*
*Biblioth.anno 9.rer.geſtar.* ¶ Græci † antiqui vxores emebant in- 14
uicem, vt ait Ariſtoteles, *lib.2.polit.cap.6.* ¶ Plautus, † *in Amphi-* 15
*truone, act.2.ſcena 2.* dotem veram etiam exprimit per Alcme-
nam, his verbis,

*Non ego illam mihi dotem duco eſſe, quæ dos dicitur:*
*Sed pudicitiam, & pudorem, & ſedatam cupidinem.*
*Deûm metum, parentum amorem, & cognatûm concordiam,*
*Tibi* (ſcilicet viro) *morigera, atque vt munifica ſim bonis, proſim*
*probis.*

¶ Solon † in legibus ex matrimoniis dotes ſuſtulit, tres tantum 16
veſtes, & quædam paruo emta vaſa, præterea nihil nuptam ſecum
importare iubet: voluit enim viri vxoriſq; conſortium, non pre-
tio, ac mercede, ſed liberorum caritate, gratia, beneuolentiaque
coniungi, teſte Plutarcho, *in vita Solon.*

¶ Et † Ælianus tradit, legem fuiſſe Spartanis, vt matrimonia, 17
nulla intercedente dote, contraherentur, *Ælian.lib.6.var.hi-*
*ſtor.cap.6.* † Et † aliquibus nationibus dotes ad modeſtam & exi- 18
guam reſtrictæ ſunt quantitatem, ne effluerent, vt nunc: ſic apud
Maſſilienſes, ampliſſima centum aureorum tantum erat, ad ve-
ſtem quinque, ad mundum quoque aureum quinque, amplius
vero nullo pacto conferre licebat, vt ait Strabo, *lib.4.Geograph.*
¶ Franciſcus † quoque eius nominis Galliarum primus rex, de 19
ſtatu Quæſtorum conſtitutione edita, cauit, ne qui quærendæ pe-
cuniæ publicæ regiæ inſeruiunt, dotes filiabus conſtituerent,
quæ decimam partem bonorum paternorum excederent. ¶ De
† Indorum nuptiis ſic ſcribit Arrianus, *in lib.* ἰνδικῶν, *de re Indo-* 20
*rum,* γαμέουσι δὲ οὔτε τι διδόντες, οὔτε λαμβάνοντες: ἀλλ᾽ ὅσαι ἤδη ὡραῖαι γά-
μου ταύτας οἱ πατέρες προάγοντες ἐς τὸ ἐμφανὲς καθιστῶσι, ἐκλέξασθαι τῷ νι-
κήσαντι πάλην, ἢ πὺξ δρόμον, ἢ κατὰ ἄλλην τινὰ ἀνδρείαν προκριθέντι, id
eſt, *Nubunt, nihil vel dantes, vel accipientes: ſed quotquot iam matu-*
*ræ viro fuerint, adducuntur a parentibus in publicum, vt is qui lucta*
*vicerit, aut pugillatu, vel alia quapiam virtute reliquis antecelluerit,*
*eam ſibi, quam volet, deligat.*

## De oneribus matrimonii. Cap. 19.

1 *Onera matrimonii ab Hebræis ſeptemdecim poſita.*
2 *Onus primum matrimonii, alere vxorem etiam indotatam, nu-*
*me.4.*
3 *Vxorem maritus non tenetur alere, & poteſt expellere, ſi dos ei*
*promiſſa non ſoluatur.*
5 *Vxor diues maritum inopem tenetur alere.*
6 *Onus matrimonii ſecundum, vxori veſtitũ præbere & quomodo.*

7 *Veſtes ingenuarum, meretricum, & ancillarum olim diſtincta.*
8 *Veſtes meretricum Athenis ex leg. floridæ, apud Thurios variæ.*
9 *Veſtitum ob nimis mundum ſuſpecta facta pudicitia. Minutia Veſtalis viua infoſſa.*
10 *Vxores & naues, ſemper negotii aliquid habent ad ornandum.*
11 *De veſtitu contentio duarum fœminarum, interitus cauſſa maritorum & gentis Gothicæ.*
12 *Arialus Aſſyriorum rex 7. adauxit muliebres delicias.*
13 *Corinthiis lex, vt inquiratur in ſplendide viuentes, num facultates illis ſuppetant.*
14 *Veſtitus quotidie inſpectiones obibant Lacedæmone Ephori, vt ſi excederent, corrigerent.*
15 *Veſtem vnam tantum ſingulis annis conceſſit æqualem iuuenibus Lycurgus.*
16 *Veſtem vnam nunquam bis induit Nero.*
17 *Veſtitum voluit Alexander Seuerus diſtinguere omnibus officiis & dignitatibus.*
18 *Senatores mane, & in conſilio togati eſſe debent, & officiales. Serui byrris & cucullis tantum vti debebant.*
19 *Brachæ & Tzangæ ſub pœna exſilii & confiſcationis bonorum ab Arcadio in vrbe prohibitæ.*
20 *Pellium indumẽta & crines maiores inhibiti ab Honorio & Theodoſio, ſeruis.*
21 *Veſtitus ſeruorum & liberorum a ſenatu aliquando diſtinctus, ſed poſtea ob periculum rebellionis confuſus.*
22 *Vtopiæ vnus veſtitus, niſi qui diſtinguat cœlibatum a coniugio.*
23 *Prætextatæ veſtes quæ, & quid ætas prætextata.*
*Latus clauus cuius eſſet.*
*Trabea cuius.*
*Paludamentum cuius.*
*Toga prætexta.*
*Penula communis.*
*Exomidæ fœminarum.*
*Cheiridotæ veſtes caſtitatis.*
24 *Fœminæ apud Spartiatas apertis femoribus ambulabant.*
25 *Veſtis ſerica viris lege Quinti Halerii prohibita. Et turpis etiam viſa mulieribus.*
26 *Sericum fuit cum auro æqualis olim æſtimationis Romæ.*
27 *Sericum a Barbaris in luxum mulieris inuectum.*
28 *Veſtes purpureæ, palmatæ, & pictæ prohibitæ ab Octauio.*
29 *Veſtes auro intexere prohibuerunt Aurelianus & Gordianus.*
30 *Veſtibus & pannis peregrinis vti prohibuit Ioannes Ducas imperator orientis.*
31 *Veſtitui modus edicto in Gallia impoſitus, & Germania.*
32 *Veſtibus intextis auro & argento penſio poſita: permiſſæ auratæ veſtes nuptiis, prohibitæ quotidiano vſui.*
33 *Veſtes prohibitæ paragandæ, auratæ & conchyliatæ, & margaritæ, certis perſonis exceptis.*

1 ONera matrimonii, quæ oportet maritum ſubire, multa & inſupportabilia fere, & miſera, *l. 1. de impo. lucrat. deſcrip. lib. 10. C. l. 2. quan. & quib. quar. pars debe. eod. lib.* enumerari poſſent, ex quibus quædam inſigniora delibaſſe ſufficiet. Explicabimuſque, quæ tradunt Hebræi hac de re in libro præceptorum עשית gnaſſot, id eſt, affirmatiuorum, vbi præcepto 48. ſcribunt, virum ad decem vxori teneri: ad tria videlicet ex lege, nempe ad cibum, indumentum, & concubitum: & ad ſeptem ex ſcribarum decretis, nempe vt infirmam curare, captiuam liberare, mortuam ſepelire teneatur: etſi is præmoriatur, poſt mortem ſuam eam quoque cibare de bonis ſuis, & ſedem in domo ſua præbere, quandiu vidua erit, filias ſuſceptas ex bonis ſuis, donec inueniant viros, nutrire, eaſque tandem dotare. Quæ omnia breuiter iuris noſtri auctoritate ſuffulciam, & in quibus a iure diſſentiant, obiter demõ-
2 ſtrabo. ¶ Primum † itaque onus eſt, nutrire ſeu alere vxorem, *ca. omnino, 31. diſtinct.* ſiue dotem habeat, ſiue non habeat. Nam ſi habeat, hoc exploratum eſt, ea ratione fructus dotis marito lucro eſſe, vt diximus, *l. dotis fructus, 8. de iur. dot. P. l. pro oneribus, C. eod. cum ſimilibus ſup. cita.* & idcirco dotem reddi etiam conſtante matrimonio poſſe vxori non perituræ, vt ſeſe ſuoſque alat: reſpondit Paulus, *l. mutus, 78 §. fin. de iur. dot.* Vlpianus, *l. ſi quis pro vxore 22. verſ. pen. & fin. de donat. int. vir. & vxor. lib. 24. P. tit. 1.* &
3 ſanciuit Iuſtinianus, *l. vbi adhuc, 29 de iur. dot. C.* ¶ Niſi † dos a patre promiſſa non ſolueretur, ſtatuto & placito tempore: nam eo caſu Bartolus, *in l. iubemus, de ſacroſan. eccleſ. C.* & Salycetus, *in l. ſi conſtante, de don. ante nupt.* & Guido Papa, *quæſt. 275. num. 2.* Cynus, *in l. quod in vxorem, de nego. geſt.* & Aufrerius, *ad 87. deci. cap. Tholoſanæ*, dicunt, non teneri ad alimenta præſtanda vxori, ſed poſſe eam expellere, quod & ex Iuſtiniani conſtitutione firmari poteſt, *l. fina. ad SC. Velleia. C. l. ſi donaturus, §. 1 de cond. cau. dat. in P.* De qua re vide plura apud Chaſſaneum, *in comment. ad conſue. Burg. in §. 23. ti. des droictz appartenans aux gens mariez verſ. item alia ratione, cum concluſionib. quas adiicit.*

¶ Quod † ſi tamen nulla conſtituta dote vxorem duxit, impu- 4
tet ſibi quare duxerit, *l. fin. de diuort. C. Innoc. per literas, de donat. inter vir. & vxor.* & teneatur, qui onus initio non potuit ignorare, ſubire: quinimo & maritus rixoſus cogitur alere vxorem extra domum, ſi nolit cum eo habitare, *Aufrer. vbi ſupra, Raynal. de for. in l. Caio, §. fina. de aliment. leg. P. Bald. l. 1. C. de legat. facit l. ſi ſi conuenerit, de ſoc. P. vide Boer. dec. 195. num. 7.* Ideo indotatam, ſi nulla ſit promiſſa dos, tenetur alere, *§. quoniam, quibus mod. na. effic. legit. §. ſi quis eum, de nupt. in auth.* ¶ Sicut † & vxor ſi diues 5
ſit, & maritus inops, maritum tenetur alere, *l. mutus, de iur. dot.* quamuis illud ſit valde lugubre malique ominis interdum.

¶ Secundum † onus, vt teneatur veſtitum præſtare vxori, *ca.* 6
*omnino, 31. diſtinct. Imol. in rubr. ſol. matrim, facit l. veſtris, 29. §. muliebria, de auro & argento legat. P. vbi Vlpianus muliebria numerat veſtimenta, quæ explicat Baiffius, de re veſtiaria.* Sic enim & alimentorum nomine, veſtes quoque continentur, *l. ver. victus, & l. quos nos hoſtes, §. verbum viuere, de verb. & rer. ſign. Iabol. l. legati, 6. & l. fin. de alim. lega. P.* Quia ſine veſtibus commode viuere nemo poteſt, aut ſine tegumento: proinde non pretioſæ neceſſario dantur, *Bart. in l. pen. §. 1. ſol. matr. & ibi glo. in verbo, in veſtiarium*, ſed quæ ſunt vitæ neceſſariæ tranſigendæ, & ſecundum cuiuſq; facultates, & dignitatem, *l. pen. de ali. & cib. lega. P.* Inter leges probas, mulieribus dictas, hanc ſummopere laudat Ariſtoteles, 2. *Oeconom. cap.* 1. vt veſtitu, ſumtu, ac apparatu minori vtantur, quam etiam leges permittãt ciuitatis. Monet & Cyrillus Hieroſolymitanus *epiſc. catech. 4.* veſtitu ſimplici vti, non ad ornamentum, ſed ad neceſſitatem.

¶ Et † dummodo more ingenuarum veſtiantur ſufficit: quod 7
facile erat olim diſtinguere, quando ancillarum veſtes propriæ, ſicut & meretricum, & ingenuarum ſeu matrum fam. erant, vt ex Vlpia. *l. item apud Labeonem, 15. §. ſi quis virgines de iniuri. lib. 47.*
*P. tit. 10.* liquet. ¶ Refert † & Suidas, *in verbo ἑταιρῶν*, Athenis le- 8
gem fuiſſe, vt meretrices veſtes ferrent floridas, id eſt, vt arbitror, ornatas, varias, aut nitidas. Alia & apud Locrenſes Thurios a Charmida præſcripta, *Suidas in Zaleuco*, vt mulieres, in forum prodeuntes, ingenuæ quidem, cum ſuis cognatis & vna pediſſequa candidis: reliquæ, variis veſtibus vterentur.

¶ Quo † factum eſt, vt veſtitus ratione, mores cenſerentur 9
etiam mulierum, vt anno præcedente conſulatum Papyrii Craſſi, & Cæſonis Duillii, Minutia Veſtalis primum ſuſpecta facta eſt, propter mundiorẽ iuſto cultum: inſimulata deinceps apud pontifices ab indice ſeruo, cum decreto eorum iuſſa fuiſſet ſacris abſtinere, familiamque in poteſtate habere, facto iudicio, viua ſub terram ad portam Collinam dextra via ſtrata defoſſa ſcelerato campo, vt ait Liuius, *lib. 8. deca. 8.* qui & idem de Poſthumia alia Veſtali refert, *Liuius lib. 4.* vt & Oroſius, *lib. 3. cap. 9.* & D. Hieronymus, *lib. 1. contra Iouinianum*, & vt ait Plautus, *in Menæch.*

*Pulcra mulier nuda erit quam purpurata pulcrior:*
*Poſtea nec quicquam eſt bene, ſi morata eſt male.*

¶ Quod † ſi quis maritus ita mulieroſus ſit, vt velit veſtibus ab v- 10
xore continuo petitis aſſentiri, certe nunquam expenſæ finem accipient, nec priuſquam loculi exhauſti fuerint; Nam, *Plautus*,

*Negotii ſibi qui volet parare, nauem & mulierem, hæc duo ſibi*
*Comparato, nam nullæ res duæ plus negotii habent.*
*Eas forte ſi occeperis exornare, neque vnquam hæ duæ res ſatis ornantur.*
*Neque eius vlla ornandi ſatietas eſt.*

Maxime enim veſtium & ornatus voluptate cum pernicie mari-
torum hic ſexus detinetur. ¶ Refert † & Ioannes Magnus Got- 11
thus, *lib. 12. hiſtor. Gothor. cap. 26.* ex ſuperba contentione vxoris ducis eximii Vraiæ, & reginæ coniugis Ildouadi regis Gotthorum, ortam de veſtitu, ornatuque tantam inimicitiarum occaſionem, vt non niſi nece vtriuſque mariti incitatorum ab vxoribus quieſcere potuerit, & fere Reipublicæ Gothorũ moueri interitum. Tantaq; iſtius ſexus ſuperbia eſt, vt, quia non ſe nouit, nec mariti gradũ, vel parentum, metiatur ſemper monilia ornatiora, luxurioſumque & peregrinum ambiat veſtitum, & maritum ad ſtultitiam ſæpius impellat implendam. De quibus & Dauid,

Pſalm.

*Pſalm.* 143. *Filiæ eorum compoſitæ & circumornatæ, vt ſimilitudo templi. Ideoque non parcunt rapinis vetitiſque artibus, vt ſatisfaciant molliciei.*
12 ¶ Arguit † Beroſus *lib.* 5. Arialium regem 7. Aſſyriorum, quod
primus adauxerit pompas, gemmas & muliebres delicias. Splendide viuere & delicate, & mollibus veſtiri, indiget pecuniis maioribus: & idcirco his in rebus prudentes legiſlatores antiquorum ſolliciti fuerunt, & curam non modicam adhibuerunt tum legibus ſumtuariis, de quibus alibi diximus, & modum conuiuiis ad-
13 iicientes, & veſtitui etiam proſpicientes. ¶ Legem † etiam quandam eſſe apud Corinthios ſcribit hoc pacto Diphilus in Mercatore, teſte Athenæo, *lib...cap.* 2.

*Eſt optime hic ſtatutum apud Corinthios,*
*Obſonüs, ſi quem videmus ſplendide*
*Semper frui, rogare: victus ſuppetit*
*Huic vnde, ſiue quid facit? ſi ſufficit*
*Huic victui reditus, frui relinquimus.*
*Si contigit ſupra hunc omnes impendere:*
*Iubetur id non amplius feciſſe: qui*
*Ni pareat, pœnam ſolent imponere.*
*Si nihil habens prorſus videtur ſplendide*
*Vixiſſe, carnifici datur. Per Herculem*
*Nulli licet vixiſſe ſic furtis ſine*
*Intelligit. Sed eſt neceſſe noctibus*
*Spoliare, furarive: vel cum quopiam*
*Habere partem, falſa teſtari, in foro*
*Falſo vel accuſare. Peſſimum genus*
*Purgamus hoc, & per Iouem rectiſſime.*

Et eandem legem primum ab Amaſi Ægypti rege latam ſcribit Herodotus, *in Euterpe, ſeu lib.* 2. indeque & mutuatum Solonem.
14 ¶ At † in veſtibus curam etiam geſſerant Ephori Lacedæmonio-
rum, vt quotidie inſpectiones obirent veſtimentorum: vt ſi quid
in illis forte a decenti iuſtoque ornatu alienum inueniretur, cor-
15 rigerent. *Ælian. lib.* 4. *de var. hiſtor. cap.* 7. ¶ Cauit † Lycurgus ne
iuuenes amplius, quam vna veſte vno anno vterentur, ne alius a-
16 lio cultior egrederetur. *Iuſtin. ex Trogo, lib.* 3. ¶ In † qua taxatur
ſuperfluitas & ſtultitia Neronis Claudii, qui nullam veſtem bis
17 induit. *Suet. in Neron. c.* 30. ¶ Habebat † in animo Alexan. Seuerus
Cæſar, omnib. officiis genus veſtiũ proprium dare, & omnib. digni-
18 tatibus, vt a veſtitu dignoſcerentur. *Lamp. in Alex.* ¶ Gratianus, †
Valentinian. & Theodoſ. ſtatuerunt, ne Senatores mane chlamydes ferrẽt, ſed penulati & togati, dum ſederent potiſſimũ in conſilio, eſſent, officiales quoq; penulati cũ interiore toga cincta: ſerul nõ niſi byrris, aut cucullis vterentur. *l.* 1. *de habitu quo vti oport.*
19 *int. vrb. li.* 14. *C. Theod. tit.* 10. ¶ Arcad. † & Honorius inhibuerunt
intra vrbẽ, vſum tzangarũ atq; bracharũ, exſilio & cõfiſcatione bo-
20 norũ alioquin imminente. *l.* 2. *&* 3. *eo tit.* ¶ Honor. † & Theodoſ.
inhibuerunt ſeruis maiores crines & pelliũ indumẽta intra vrbẽ.
21 *l.* 4. *eo.* ¶ Indicta † eſt aliquando a Senatu ſentẽtia, vt ſeruos a libe-
ris cultus diſtingueret, *deinde apparuit, quãtum periculũ imminet,*
inquit Seneca, *lib. de Clemen. ſi ſerui noſtri nos numerare cœpiſſent.*
22 ¶ Per † inſulã Vtopię vna forma veſtitus eſt, niſi qua ſexus habitu
diſcernitur, & cœlibatus a cõiugio. *Tho. Mor. lib.* 11. *Vtop.* ¶ Placuit
23 † & Romanis, veſtitu dignitates quodãmodo diſcernere, ideoq; &
prætextas veſtes habuerunt quintuplicis differentiæ, regales, augurales, cõſulares, ſenatorias, equeſtres, quas explicat Wolphg. Lazius, *lib.* 2. *cõment. reip. Rom. c.* 3. *& ſeq. & lib* 8. & maiorũ 14. annorum, vnde prætextata ætas. *l.* 3 *§. fi. de libe. exhib. lib.* 43 *P. tit.* 29. Latus clauus dabatur Senatorib. *Lampr. in Alexan.* Trabea præfectis potiſſimũ prætorio. *Ammia. Marcell. lib.* 26. Paludamentũ proprie conſulũ, *Liu. lib.* 3 *Dec* 5. & eorum qui loco conſulũ ſortiebantur prouincias. Toga magiſtratib. prætexta: penula communis omniũ: exomidæ ſubſtrictæ fœminis ſolis Romanis olim relictæ, vt molles tunicæ. Cheiridotæ, quæ erant prolixæ, vltra brachia & manus longe lateq; diffuſæ, ad vlnas cruraq; aduerſus oculos pte-
24 genda, vt ait Gell. *lib.* 7. *c.* 12. ¶ Caſtitati magis propriæ, quã quas per-
miſit Lycurgus, qui voluit in ſua republica virgines, & fœminas eſſe omnino apertas: vnde & irriſę a Poetis dictę φαινομηρίδες, a patentib. femoribus, vt & Ibicus Andromaches dixit, quod viros furere faciant. Si quidẽ tunicæ virginalis conſutæ pinnæ nõ erant ab inferiori parte, ſed aperiebantur, ſimulq; nudabant totũ femur inceſſu, vt ſcribit Plutarch. *in vitis. in compa. Numæ & Lycur.* Contemta certe ibi, vel non egregie obſeruata pudicitia, nec pares in hoc virtute Lacedæmonii Romanis, apud quos tamen Lazarus Bayffius *lib. de re veſtiaria, ca.* 13. contendit genus veſtimenti hoc quoq; fuiſſe, & tunicarũ Romanar. mulierũ non fuiſſe conſutas alas, verum palliũ tunicæ, quod eam operiret, impoſitum: idquẽ ex Ouidio firmaſſe videtur, dum is ait. 1. *de art. aman.*

*Pallia ſi nimium terræ demiſſa iacebunt,*
*Collige, & immunda ſedulus effer humo.*
*Protinus, officii pretium patiente puella.*
*Contingent oculis crura videnda tuis.*

Verum non inde id mihi perſuadetur, nam nec inibi de diſſolutis
mentio, ſed quod efferendo & excutiendo pallio, contingat etiã nũ-
dari crura, ſi patiatur puella, ſenſiſſe puto Ouidium. ¶ Quamob-
rem † & ea ntũ decreto, Octauio Frontone prætura functo a Quin- 25
to Halerio conſulari, ne veſtis ſerica viros fœdaret. *Corn. Tacit. lib.*
2. Multoq; magis turpis mulierib. viſa Senecæ, *li.* 7. *de beneſi.* dum
ait, *Video*, inquit, *ſericas veſtes, ſi veſtes vocandæ ſunt, in quibus nihil eſt quo defendi, aut membra, aut corpus, aut denique pudor poſſit, quib. ſumtis mulier parum liquido nudã ſe non eſſe iurabit, &c.* Negauit vxori ſuæ huius vſum Aurelian. Cæſar, propter pretii magnitudinẽ: ſic enim ſcribit Flauius Vopiſc. *in Aureliano. Aurelianum veſtem holoſericã neque ipſum habuiſſe in veſtimento ſuo, neque alteri vtendam
dediſſe: & cum ab eo vxor ſua peteret, vt vnico pallio blateo ſerico vte-
retur, illum reſpondiſſe, abſit, vt auro fila penſentur.* ¶ Æqualis † nãq; 26
tunc ſericũ & aurum erant æſtimationis: vt non immerito etiam, ſicut ex naufragio auro ſaluato decimæ pendebantur ei qui ſaluarat: ſic & ſtatutum in legib. Rhodiis, *Naualib. Rhodio. excuſſis per Oporinũ Baſileæ, tit.* 40. περὶ πλοίου διαφθαρέντος τῶν δὲ ἐπιβατῶν, *&c. de naue rupta, vectorib. &c.* de ſerico ſicco conſeruato, his verbis, τὰ δὲ ὁλοσηρικά, ἐὰν ἄβρεχα σωθῶσι, δεκάτας ἐπιφερέτωσαν, ὡς ὅμοια ὄντα τῷ χρυσίῳ· ἂν δὲ βραχῶσι, κουφιζέσθωσαν τὴν ἀποτελεσὴν καὶ τὴν ἀποβροχὴν, καὶ οὕτως εἰς συμβολὴν ἐρχέσθωσαν, id eſt, *holoſerica ſi ſicca ſaluata
ſint, decimas ſoluunto, tanquã auro paria: ceterum aſpergine cõmade-
facta, exſiccantor, & ita ad collationem veniunto.* ¶ Et † Dio Caſſius 27
*lib.* 43. ſericum barbaricæ luxuriæ texturã dixit, ab iiſq; ad luxum
mulierũ inuectã, quam nũ hodie nihil frequentius inter illas, vt quę
nec purpurę parcunt, quæ regibus & ſenatorib. fuit tantum peculia-
ris. *Xiphil. in M. Vlp. Traia.* ¶ Prohibitũ † ab Octauio, *Dio, lib.* 49. 28
purpura palmatis pictiſq; vti veſtib. quas habuit peculiares prin-
cipatui. ¶ Gordia. † ſenior *Iul. Capit. de reb. geſt. a Gordiano.* aurũ et- 29
iam veſtib. intexere prohibuit quod aliquando fecit Aurelianus, *Vopiſ.
in Aurel.* Omittã tot formas inuiſas veſtium recẽtes quibus quotidie iam paratæ vileſcunt, & impendiorum anſam vberrimã adiiciunt, dum Proteum imitãtur: vt ſi maritus vellet harũ veſtium onus ſubire, non dotis certe fructus, nec quoq; ſuũ vel proximorũ amplum patrimoniũ ſufficere poſſit. Vt non poſſim ſatis laudare
legiſlatores, qui etiã huic negotio opẽ tulerunt, & loculis. ¶ Qua-
lis fuit † fuit Ioannes Ducas Imperator Orientis, qui decreto ſan- 30
ciit, *lib.* 1. *iur. orient. in conſtit. Ioan. Ducæ, tit.* περὶ ἐσθήτων *de veſtitu.*
ne quis ſubditorũ vteretur veſtibus Aſſyriis, Babylonicis, Italicis, variis artificiis confectis, ſericis: niſi is, quiſquis eſſet, cũ omni familia in ordinem cogi, ac notari ignominia vellet. Vtq; his contenti eſſent, quas Romanæ, ſcilicet Conſtantinopolitanæ, prouin-
ciæ, ac manus præberent. ¶ In † Gallia quoq; modus impoſitus 31
veſtib. & muliebrib. luxib. edicto, *Edict. de Roy Charles ſur le faict & vſage des ſoyes, & reglement donne a ſes ſubiectZ a leurs habillemens.* Carol. IX. anno 1565. 21. Ianuar. Similiter Germaniæ, in comitiis habitis Auguſtæ Vindelicorum, ſub Carolo V. Maximiliano, *in Polit. Caroli V. art.* 9. 10. 11. anno dom. 1548. vt conſtat ex politica conſtitutione, inibi edita, patria lingua, in Latiũ tranſlata per Iu-
ſtinum Goblerũ. ¶ Fuitq; † olim a Cæſaribus ad terrendã veſtium 32
exquiſitarum temeritatẽ, impoſita penſitatio intextis veſtib. auro & argento. *Conſtant.* 3. *ſi propt. publ. penſit. vend fuer. celebr. lib.* 4. *C. tit.* 46. At permittunt leges veſtib. nuptialib. maiorẽ ſplendorem, & auream intexturã, quam vetant quotidianis, *l.* 1. *nul. lice. in fran. & equeſt. ſell. &c. lib.* 11. *C.* prohibent tamen auratas, ac ſericas para-
gandas. *l.* 1 *&* 2. *de veſtib. holobar. & aura. eo. lib. C.* ¶ Iulius † Cæſar 33
quoq;, conchyliatę veſtis & margaritarũ vſum, niſi certis perſonis & ætatibus, perq; certos dies, ademit. *Sueton. Tranq. in Iul. Cæſare, c.* 42. Quæ quidem omnia admonent maritum, ne veſtitum vxori porrigat vltra vires, dignitatem, & iuris permiſſionem: alioquin certe onus Ætna grauius erit ſubiturus. Et hæc hactenus de ſecũdo onere matrimonii.

## De reliquis oneribus matrimonii. Cap. 20.

1 *Tertium onus matrimonii, Concubitus eſt.*
2 *Vxor habens virum inutilem, cenſetur vidua.*
3 *Vxor vrit: & lex de concubitu non frequentando.*

4 *Vxorem infirmam curare ex onere debet maritus.*
5 *Vxorem infirmam ſuperfructus dotis non tenetur curare maritus, ſi ea habeat patrem, vel bona per ſe.*
6 *Vxorem captam an teneatur maritus redimere.*
7 *Vxorem an teneatur maritus ſuis ſumtibus ſepelire.*
8 *Vxorem ſepelire, gratius, quam ducere.*
9 *10. Vxori viduæ an alimenta per heredes, & quãdiu debeantur.*
10 *Vxori viduæ prægnanti curator & alimẽta decernuntur ventris nomine.*
11 *Vidua quid eſt.*
12 *Vxori an debeatur habitatio poſt mortem a marito.*
13 *Liberi debent ali a parentibus & inſtitui.*
14 *Liberi quando alantur a matribus.*
15 *Liberi quoque tenentur alere parentes.*
16 *Liberos non erudientis pœna, & liberorum non alentium parentes.*
17 *Patris officium, dotare filias.*
*Spurios filios an teneatur pater dotare. Et remiſſiue.*
18 *Vxor ſummum & præcipuum onus mariti, & pene inſupportabile, verum tolerandum.*
19 *Vxor etiam mortua cum viro litigat.*
20 *Vxor peruerſa, liberorum cauſſa plerumq; ſuſtinetur.*

1 TErtium onus † dicitur eſſe concubitus, nempe reddere debi-
tum coniunctionis, vt dicunt vxori, ad quod tenetur, *c. gau-
demus, de diuort. c. 2. de coniug. lepros. glo. in l. 1. §. ſi non propter, ſi quis
cautio. P. c. 2. de tranſlatio. prælat.* vt mutuo etiam viro vxor obſtrin-
2 gitur. Verum iſta ſemper parata, ille non vtique. ❡ Sic † vterque
non habet poteſtatem ſui corporis, ſed in coniugis eſt arbitrio.
*1. Corinth. 7. c. non debet, de conſang. & affin.* Alioquin mulier, quæ
maritum habet inutilem, vidua cenſetur. *gloſſ. l. fin. in ver. orbatus,
ad leg. Fla. de plagia.* Igitur hoc onus conſtitue, vel ex ſentẽtia He-
ſiodi, *in ergis.* dum tradit quod mulier,

Εὕει ἄτερ δαλοῖο, καὶ ἐν ὠμῷ γήραϊ δῶκε.
*Vrit ſine torre, & ad crudam adducit ſenectam.*

3 ❡ Solon † huic oneri temperamentum adhibuit, auctore Plutar-
cho, *in vita Solon. & in l. connubial.* ſtatuit enim, τὴν νύμφην τῷ νυμ-
φίῳ συγκατακλινόμενον, μῆλον κυδώνιον κατατρώγειν, καὶ τρὶς ἑκάστου μηνὸς
αὐτὸν ἐκείνῃ ἐντυγχάνειν, id eſt, *volunt ſponſam cum ſponſo cõcubituram
prius delibare malum cotoneum: & cum cum illa tantum ter in
menſe congredi.* Moderate enim venereis vtendũ eſſe voluit, quia,
vt ait Plato *in Timæo*, id commodum eſt. Eſt & continendi tem-
pus definitum a iure, poſt quod redeundum dicunt. *can. fœminæ,*
4 *30. q. 5.* ❡ Quartum † infirmam curare: & idcirco quæ ſupra dotis
fructus in eius ægritudinem impẽderit, ſibi expendit, & affectio-
ni, & pietati, nec repetit. *Alex. Imper. l. quod in vxorem, 13. de nego.
geſt. C.* Neque quicquam prætermittere, potiſſimum ſecundum
dotis qualitatem debet, quod vxoriæ ſaluti conducere poſſit, *l. ſi
cum dotem, §. ſi autem, ſolut. matrim. in P.* alioquin dos ei auelle-
retur.

5 ❡ Quod † intelligendum ait Chaſſanæus, *in conſue. Burg. tit. des
droictz. apparet. a gens mariez §. 23. verſ. octaua concluſio.* & Socin.
*conſ.* 226. niſi mulier haberet patrem, qui videtur teneri alere fi-
liam in eo, quod eſt extra fructus. Quomodo vxor alẽda in ſanita-
te, & in ægritudine ſit, conſtante matrimonio, late tractant gloſſ.
Dynus, Bartol. & Angelus, *l. ſi cum dotem, §. ſin autem, ſol. matrim.*
Iacob. Aretin. Cynus, Bald. Angel. Salycet. *in d. l. quod in vxorem,
de negot. geſt.* Angel. Aretin. *in §. fuerat, num. 13. de act.* ❡ Quintum,
6 † vt captiuam ab hoſtibus liberare, & redimere cogatur. Hoc au-
tem Rabinis receptum proculdubio: at apud nos remitti debitũ
poſſe, & cenſeri puto. Et proinde ſtatutum, vt ſi quis redemtam
duxerit, ne poſſit, quæ eius rei cauſſa impenderit, repetere, *l. 2. &
l. ſi is, qui te ab hoſtibus, 11. de capt. lib. 8. C. titu. 51.* Ceterum ſi vxor
pendente matrimonio capta ſit, maritum poſſe impenſam repe-
tere arbitror, ſi non donet: quia & mater, ſi antequam filium re-
dimat, proteſtetur, ſe velle repetere, repetit, etſi nihil dicens, non
repetat. *Dioclet. & Max. in l. ſi liber captus, 17. eod. tit.* Sicuti mi-
nuit dotem, datura vxori vt proximos ſuos redimat, vel filios al-
terius thori. *Paul. l. quamuis, 21. & Vlpian. l. ſed etſi ideo, 22. ſolut.
matrim. in P.*

7 ❡ Sextum, † vt mortuam teneatur ſepulturæ mandare, ſi ea
propria bona, nec dotem habuerit, ex quibus alioquin funeris
impenſa deducitur, *d. l. quod in vxorem, de neg. geſt. C. & Vlpia. l. in
eum, 16. & Papin. l. ſed ſi nondum, 17. & l. ſic pro rata, 27. de relig. &
ſumt. funer. lib. 10. P. titu. 7. l. Celſus, 26. & ſeq. eod.* quæ eum ſequi-
tur, ad quem dos reuertitur. De ſuo enim expedit mortuos fune-
rari, vt ait Vlpia. *in l. at ſi quis, 14. §. idem Labeo, de religio. & ſumt.
funer.* Itaque hoc onus marito iniungitur tantum, cum mulier
dotem non habet, nec heredes, & quando pater eius ſoluendo
non ſit, *Pompon. l. quod nulla, 28. eod.* aliter non tenetur. Quia ſo-
lutum matrimonium, & ita onera deſinit ſubire vir, vt ait Baldus,
*d. l. quod in vxorem, de nego geſt.* & Ludouicus Roman. *conſil.* 517.
❡ Sunt † aliqui tamen, quibus leuius onus hoc eſſet ceteris, & 8
gratior expenſa, quibus vt Chæremon ait, γυναῖκα θάπτειν κρεῖττόν
ἐστιν, ἢ γαμεῖν, *vxorem ſepelire gratius & melius, quam ducere.* Vbi
iam cœpit quibuſdam ſeneſcere, ſi credamus Iuuenali, qui ita ſcri-
bit, *Satyr. 6.*

*Si verum excutias, facies, non vxor amatur.*
*Tres rugæ ſubeant, & ſecutis arida laxet.*
*Fiant obſcuri dentes, oculique minores,*
*Collige ſarcinulas, dicet libertus, & exi,*
*Iam grauis es nobis.*

❡ Septimum † onus, vt poſt mortem ex bonis ſuis, viduis, vxo- 9
ribus, caſte tamen viuentibus, teneantur mariti alimenta, & vi-
duitatis ſubſidia præſtare intra annum luctus: ex cõſuetudine ſal-
tem Tholoſana, quæ ad id mariti cogit heredes, & vltra annum,
quamdiu, ſi dos data fuerit marito, eam heredes retinebunt do-
tem, & incrementum ſeu adiacamentum ex conſuetudine debi-
tum. *tit. de neceſſar. viduar. in conſuetud. Tholoſ.* Iure tamen ciuili
communi, heredes tenentur tantum præſtare alimenta viduæ,
quamdiu dos eſt apud eos, ſi vxor non habeat alia bona, vnde ſe a-
lat, non aliter: vt tractant interpretes communi calculo poſt Ac-
curſium, *in l. vni. §. exactio, ad verb. reſtituendis, & ibi Bartol. & a-
lii ſcrib. de rei vxor. act. lib. 5. C. tit. 13. & in l. ſi cum dotem, §. ſi autem,
ſolu. matrim. in P. gloſ. in l. diuortio, eod. gloſſ. in l. pen. vt in poſſe. lega.
in P. Angelus tamen videndus, de modo alendi & quomodo, & vt non
ſeorſum, ſed cum heredib. ad §. fuerat, nume. 9. de actio.* qui multis
hoc firmat rationibus, quas non transſcribam. Et certe videtur il-
la reſolutio æquior, niſi filii heredes ſint, qui viduam vt matrem
alere teneantur. *Vlpia. l. ſi quis a liberis, 5. de libe. agnoſ. lib. 25. P. tit. 3.*
Alioquin ſoluta mulier eſt a lege viri, morte ipſius, vt diximus,
dum de ſolutione ageremus. Quocirca æquum non eſt ab ex-
traneis heredibus ali, cum priuilegium coniugale perſonale ſit,
nec tranſeat ad heredes, *Vlp. l. maritum, 13. & Paul. l. quia tale, 14.
ſolut. matrim. lib. 24. P. tit. 3.* cumque ea poſſit copulari, ſi velit al-
teri potiſſimum ſublatis hodie pœnis: quod pertinet ad infamiam
nubentium intra annum luctus. *c. penul. de ſec. nupt.*

❡ Niſi † ſe vterum gerere ex præmortuo viro vidua diceret, 10
ſiquidem tunc, ventris potius nomine, alimenta conſtituuntur, &
in hanc rem curator decernitur, qui cibum, potum, veſtitum, &
tectum præſtet mulieri, pro facultatibus defuncti, & dignitate
eius, atque mulieris, vt reſpondent Vlpianus *l. 1. §. mulier autem.*
& Caius, *l. curator veteris, 5. de vent. in poſſeſſ. mitt. libr. 37. P. titu.*
8. Alia itaque cauſſa viduarum non prægnantium, quæ parum,
aut nihil, ad matrimonium pertinere videntur. Quanquam e-
nim viduæ virum, & eius dignitatem repræſentent, *l. fin. §. vidua,
ad municip. 1. de incol. lib.* 10. *C.* & eius priuilegia: tamen verum
eſt, non eſſe matrimonium, ideo onus alimentorum ceſſare.

❡ Docet † & nomen, cum vidua ſit ea, quæ ſine viro eſt: etſi 11
nunquam virum habuerit. *l. malum, §. viduam, de verb. ſign.* Sic
Macrobius, *lib. 1. Saturn. ca. 15.* viduam dictam notat, quaſi valde
diuiſam, aut a viro diuiſam: quia *duare*, lingua Etruſca, diuidere
eſt. Vnde & idus vocatur, dies quę menſem diuidit. Et Iulius Pol-
lux, *lib. 3. c. 3.* mulier a viro ſola relicta, vidua eſt: ſicut & a muliere
relictus, viduus. Vnde χηρωσταὶ dicuntur, qui generi deſerto in he-
reditate ſuccedunt.

❡ Octauum † onus a Rabinis præſcriptum, de præbenda do- 12
mo, ſeu habitatione, eandem habet diſtinctionem iure ciuili, ac
ſuperius ſeptimum: & expreſſe videtur diſſentire illud, quod Ia-
cob dixit Thamar *Geneſ. c. 38.* nurui ſuæ, poſt mortem mariti, eſto
vidua in domo patris tui.

❡ Nonum † eſt alendi liberos ex matrimonio ſuſcepto, quod 13
patris potiſſimum eſt, *l. fin. §. ipſum autem filium, de bon. quæ libe.
libr. 6. C. l. vni. §. ſileat, de rei vxor. act. C. l. 1. 3. 4. de alend. lib. C. lib. 5.
titu. 25. l. ſi quis a liberis, de libe. agna.* cuius nomine & erudire, &
impendia in inſtitutionem facere tenetur. Nam ea alimentorum
nomine veniunt. *l. alimentis legatis, de aliment. & ciba. lega.* ❡ At-
que † eam inſtitutionem deberi quoq; a parentibus filiis, iam a 14
libi docuimus. *in prælud. opt. Iuriſconſ. lib. 2. cap. 40.* Porro ſi ma-
ter ſit locuples, & maritus pauper, hoc onus ad illam, nutriendi
pertinet, *auth. ſi pater, diuort. fac. apud quem libe. educ. deb. lib. 5. C.
tit. 24.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*tit.24.* ſicuti & minorem triennio lactandi. *l.penult.C.de patr.pot.* Alioquin citra neceſſitatem, pater liberorum hoc alendi habet onus, non mater. *l.pen.de libe.agnoſc.in P.* Accedit & iſtis ſolicitudo liberorum quælibet alia vltra, & vitæ & aliorum neceſſariorum.

*Duxi vxorem,* inquit Demea, *apud Terent. in Adelphis circa finem. quam ibi miſeriam vidi, nati filii.*
*Alia cura: porro autem dum ſtudeo illis, vt quamplurimum*
*Facerem, contriui in quærendo vitam, atq; ætatem meam.*
*Nunc exacta ætate, hoc fructi pro labore ab is fero,*
*Odium: meam autem mortem exſpectant.*

Romulus auctore Dionyſio Halicarnaſſ. *in 2.antiq.* primum, neceſſitatem colonis impoſuit educandi quicquid eſſet maſculum,
15 & e filiabus primogenitas. ¶ Verum † poſtea iura ad omnem patrum partum, vt diximus, hoc prærogarunt ius. Sicut & contra, liberi omnes, egentes patres alere tenentur, *l.ſi quis a liberis, de libe.agnoſ.in P.cum ſimil.* Id enim natura ſuadet, qua beneficia rependere tenemur, *l.ſed etſi l.§.conſuluit, de petit hered. P.* & animalium, ferarumque quarundam exempla, quæ rependunt pa-
16 rentibus ſenibus, & defectis viribus officium & vicem. ¶ Erat † & lex Athenienſium, quæ a dicendo vel verbo ad populum faciendo prohibet eum, qui patrem aut matrem verberauerit, vel non aluerit, aut intra habitationem ſuam non receperit: nam ab eo qui aduerſus eos, quos æque venerari ac Deos oportet, eſt improbus, non poteſt niſi malum ciuitas exſpectare, vt ait Æſchinus *aduerſus Timarchum.* Apud eoſdem tamen alia lex, quam Alexis Poeta laudauit, non cogi filios eos parentes alere, a quibus aliquam artem edocti non fuiſſent, vt ait Vitruuius *in proœm.lib.6. de architect.* Refert eandem ad Solonem Plutarchus, *in vita Solon.* Meminit & Galenus, *orat. exhort.ad art.* Erat & alia huic ſimilis illis, non teneri filium alimenta patri vel habitationem tradere, ſi eum mercede proſtituiſſet. *Æſch.præd.loco.* Et iura etiam ciuilia, *authen.ſi lenones.de epiſcop.aud C.* tollunt hac ratione patriam poteſtatem. Mortuum tamen ſepelire iubebat, ac ei iuſta facere: quia lex & numen ipſum hominem conſequitur, etſi is non ſentiat.

17 ¶ Decimum † onus eſſe, patris, & matrimonii dotare filias: conſentiunt Iuriſconſulti, *l.qui liberos, de ritu nuptiar.in P.l.fin. de dot promiſſ. C.cum ſimilib.* cum Rabinis. Porro longa eſt controuerſia, num quos liberos tenemur nutrire vel alere inſpecta gratia iuris canonici, vt adulterinos & ſpurios, eiſdem teneamur dotes conſtituere, quam non explico, quia extra matrimonii onus eſt, ſed remittam lectorem ad Nicolaum Boerium qui eam explicat. *deciſ.127.num.*11 12.13.

18 ¶ Porro † vt oneribus ſummum & extremum, aliorumque cauſſam ſubiiciamus, & mulierem ipſam etiam valde oneroſam dicunt viris, & hoc onus malumque meliori quo poſſis condimento ferendum, vel tollendum. *Aul. Gell.lib.1. Noct.capit.* 17. Vxorque ferenda, vt ait Plutarchus, *in Præcept.connubial.* etſi vix ſuſtineri poſſit. *§.1. vt ſine prohib. matrim debitri. & credit. &c. in auth.colla 7 glo.in l.ex his, de legi.* Sic Antiphanes quoque dixit, φορτίον τὴν γυναῖκα, *onus graue mulierem.* Plus namque aloes, quam mellis habet, vt ait Iuuenalis. *Satyr. 6.* Et iterum *idem dicta Satyr.*

*Semper habet lites, alternaq; iurgia lectus,*
*In quo nupta iacet, minimum dormitur in illo:*
*Tunc grauis illa viro, tunc orba tygride peior,*
*Cum ſimulat gemitus occulti conſcia facti,*
*Aut odit pueros, aut ficta pellice plorat.*

19 ¶ Scribit † Alciatus, *lib.2.parerg.c.12.* Romæ in ſaxo inſculptum, Epitaphium, verum litigioſi matrimonii teſtimonium, quod nec poſt obitum quieſceret, hunc in modum.

*Heu viator, miraculum hic vir & vxor non litigant.*
*Qui ſimus non dico: at ipſe dicam, hic Bebius ebrius.*
*Ebriam me nuncupat: heu vxor, etiam mortua litigas.*

20 ¶ Ceterum † & liberorum habendorum gratia, plerique mores aduerſos coniugum ſuſtinent: veluti docuit Socrates, dum interrogatus ab Alcibiade, cur tam iurgioſam mulierem domo non abigeret: interrogationem diſſimulans dixit, cur tu clamoſas gallinas domo non abigis? & cum Alcibiades reſpondiſſet, quia mihi pariunt oua: & mihi, inquit Socrates, vxor Xantippe parit filios.
*Diog.Laert.in vit.Socra.*

## Axiomata quædam nuptiarum communia.

### Cap. 21.

1 *In matrimoniis honeſtas inſpicienda.*
2 *In matrimoniis ius Pontificium ſequendum.*
3 *In matrimoniis dubiis pro matrimonio iudicandum.*
4 *Matrimonio dubio pro eo defertur iuramentum cum vno teſte, & aliis adminiculis & quæ ſunt adminicula, quæ probant matrimonium, & præſumtiones.*
5 *Mulieri iuranti vel aſſerenti ſe ab aliquo fuiſſe cognitam, vel aliquem ſibi matrimonium promiſiſſe non creditur.*
6 *Matrimonii cauſſa, & num quis ſit ex legitimo matrimonio procreatus, notio, pertinet ad forum eccleſiaſticum, non ad laicum.*
7 *Coniuges vel ſponſi poſſunt adire iudicem laicum, vt cogat aduerſarium nubere, vel redire.*
8 *Contra matrimonium ſententia lata non tranſit in rem iudicatam.*

IN coniunctionibus legitimis ſemper & quod licet, quodve 1
honeſtum inſpiciendum. *l.ſemper de regul.iur.P. l.ſemper, de rit. nupt.P.* ¶ In † matrimoniis iudicandis, & in his quæ ad ea perti- 2
nent, præponimus ſanctiones Pontificias ciuilibus. *c.ſi.de ſec.nup. ap.Greg.§.vlt.quomo.oper.epiſc.in auth. coll 1.§.fin. vt cleri.ap.prop. epiſc.col.6.* ¶ In † ambiguis, pro matrimoniis iudicamus, & pro 3
coniunctionibus potius, quam pro ſolutionibus. ¶ Idcirco † ſi 4
quis petat vxorem adiudicari ſibi, vtpote cum qua dicat matrimonium contractum, ſi probet per vnũ teſtem, defertur ei iuramentum neceſſarium in ſupplemẽtum probationis pro matrimonio, *deci.71. Capel.Thol.Hoſtien. & collectarius, in c.mulieri, de iureiur.* etſi quidam repugnent, *c.lator, de ſent. & re iud.gl.in l.3.§.1.in verb. agatur, de iureiu.in P.* non autem cõtra matrimonium. *gl. & Pan. in c.mulieri, de iureiu.gl.in l.3.§.1.eod.in P.* Idem ſtatuitur in vxore petente maritum, ſi modo indicia & præſumtiones, aliunde concurrant, veluti annulorum delatio, *c.illud, de præſumt.* frequens familiaritas, *l.in libera, de rit.nupt.P.* & ſimilia his, adhibita conſideratione qualitatis æqualitatis perſonarum, num fraus vel aucupatio fuerit matrimonii. Et proinde per has periſtaſes melius eſt cõmitti delationem tunc iuramenti arbitrio iudicum, vt monet Siculus, *in d.cap. mulieri, per ca.fin. de iureiur. iuncta.l.3.§.quacunq; eo.tit.* Atque vnus teſtis cum fama probabit matrimonium contractum & factum, dummodo alteri matrimonio non fiat præiudicium, quod fuerit manifeſtum, cui per clandeſtinum ita probatum non obeſt, *deciſ.172. Capel.Thol.Innoc.in ca præterea de teſtib. & in c.illud 1.de præſumt. facit gl.in c.1.de appellat.c.veniens, in 1. de teſtib.* etiamſi ambo confiteantur clandeſtinum, cum teſte vno & fama. *Ioan. And.in c.2.de cland.deſponſ.* Adminicula quoque, præſumtioneſq; matrimonii, inſtrumenta dotalia, & pacta dotalitia ſunt, *l.neq; ab initio, 14.de nupt.C §.nuptias, eod.in auth.* tamen cum tabulis perpendenda cenſet Papinianus, *l.donationes in concubinã 32.de donatio.libr.39.P.tit.5 facit.l.ſi vicinis, C. de nupt.* ſi præceſſerit, vel adfuerit maritalis affectio, vel honor, perſonis comparatis, vitæque coniunctione conſiderata: neque tabulas facere matrimonium. Addunt etiam adminicula & ſemiplenas probationes, epiſtolæ a maritis vel coniugibus miſſæ, ſi de fide earum conſtiterit: vt nonnullam fidem inſtrumentorum eſſe decretum reſpondit Scæuola, *in l pede probat.lib.22.P.tit.3.* Et Papinian. *l. Publia.26.§ fin.depoſ lib.16.tit.3. facit l.cum quis, §.codicillis. de leg.3.l. emtor.§ fi.de pact.in P.* verba enuntiatiua in epiſtola prolata obligationem quidem nullam producere, ſed probationem impleri poſſe ait. Et quamuis plena probatio ex epiſtolis non oriatur. *l.nõ epiſtolis, l.non nudis.C.de probat.l.pen.in fin. qui potio. C.l.generaliter, de non num.pecun.C.l.nec profeſſio, C.de teſtibus.* tamen confeſſionis ſpecies contra confitentem multam cum adminiculis aliis probabit.

¶ Placuit † tamen ſupremis curiis non eſſe dandam fidem di-
centi, ſe ſtupratam vel raptam fuiſſe ab aliquo. Scribit Nicolaus 5
Boerius, *deciſ.299.* & reſpondit Barbatia, *conſil. 27.* & Stephanus Bertrandi Carpentoratenſis, *conſil.143.colum.3.* nec creditur iuramento vel aſſeuerationi mulieris ſine alia probatione aſſerentis, virum in eam conſenſiſſe per verba de præſenti, *c.mulieri, ca. 34.de iureiur.lib.2. Decret.titu.14.* ſicut nec ei creditur, qui dixit ab aliquo ſibi mortis etiam vim illatam, niſi aliis idipſum fulciatur probationibus. *Vlp.l.3.§.1.ad Sc.Syllania.*

¶ Cauſſa † matrimonii validi vel inualidi, debet agi & decidi 6

coram iudice eccleſiaſtico, non coram laico: item num quis ex legitimo matrimonio natus ſit, *c.1.& c.cauſam quæ, & c.lator, c.5. qui fil.ſint legit.ap.Greg.* quia mere eſt ſpiritualis. *c.tuã de ord.cogni.* Idcirco neque principaliter, neque incidenter tractari poteſt co-
7 ram ſeculari iudice. ¶ Poteſt tamen, *Abb.in c.ex literis in 2.in 4. notabili, de ſponſal. Felin.in c.præterea, nu.28.eo.* alter coniugum, vel ſponſatorum, iudicem ſecularem adire, vt compellat ſponſum, vel ſponſam, ad contrahendum matrimonium, ſi non cõtrouertatur, vel dubium non ſit de validitate ſponſaliorum, ſed tantum peti-
8 tur, vt impleatur promiſſio, quanquam iurata fuerit. ¶ Singulare & illud, ſententiam latam contra matrimonium, non tranſire in rem iudicatam: contra, ſi pro matrimonio. *c.lator, de ſent. & re iud.*

## De Dotis repetitione, ſoluto matrimonio.

## Cap. 22.

Lib.24.P.tit.3. Lib.5.C.tit.18. Lib.4.Decret.tit.20.

1 *Soluto matrimonio dos repetitur.*
2 *Obſeruanda plura in dotis reſtitutione: & inprimis quid placuerit de ea.*
3 *Pacta dotis ſoluendæ minutatim per plures annos a ſenatu iuſte improbata.*
4 *Dotis reſtituendæ annua bima trima die, &c. Et quale hodie tempus maritus in reſtitutione dotis conuenitur in quibus facere poteſt tantum.*
5 *Dotium non ſolutarum quæ debentur vſuræ.*
6 *Secunda obſeruantia, ſi nihil pactum de dotis reſtitutione, conſuetudines municipales loci.*
7 *Tertia obſeruantia, dotis profectitiæ & aduentitiæ diſtinctio.*
*Dos filiæfa. a patre profecta, ad patrem quibus rationibus redeat.*
8 *Dos mortua filiafam. cum liberis, an ad patrem redeat, vel filiorum ſit.*
9 *Dos matrisfam. remanet penes liberos.*
10 *Dos ex pacto reſtituenda extraneo in caſu & pacto ſolutionis, & de reſtituenda, non obſtantibus liberis.*
11 *Dos aduentitia, filia vel vxore mortua, cui reſtituenda ſit.*
12 *Dotalis res pendente matrimonio, etiam aſſentientibus vxorib. alienari nequit vllo modo, nec vſucapi.*
13 *Dotales res æſtimatæ in dotem datæ, num poſſint alienari.*
14 *Dotales res mobiles, quæ & quando alienantur.*
15 *Dotalium rerum immobilium quando valeat alienatio: nempe ſi neceſſaria, ſi cum fraude vxoris præſentis, ſi maritus lucretur poſtea, ſi inuito conſentiat vxor.*
16 *Actio reſtitutionis dotis ex ſtipulatu, transfuſa in eam rei vxoriæ actionem.*
17 *Dotali valide re alienata: nihilominus datur repetitionis actio in heredes mariti, niſi in quantum in vtilitatem vxoris conuerſum.*
18 *Dotalis res non eſt, emta ex pecunia dotis, interea, non repetitur.*
19 *Dos repetitur a muliere in foro mariti mortui, non ab extraneo.*

1 QVia † onerum matrimonii cauſſa dare dotes conſtitit, *ex l.pro onerib. de iur.dotal. cum ſimil.ſup.cita.* ceſſante cauſſa, & matrimonio diſſoluto, non erit abſurdum eaſdem repet. *c.1.2. & 3. & fin.de dona.inter vir. & vxor.ap.Greg.tit.ſolut.matr.quemad.dos pet.in P. Vlpian.in l.ſi ergo Seiæ, 10. & l.ſtipulationem, 22.de iur.dot. lib.23.P.tit.2 l.fin.C.ſol.matr.lib.5.tit.18.l.dotis, 9.eo.tit.* Sic M. Antonius Cæſar cum moneretur, vt Fauſtinam repudiaret ob adulterium, vel occideret, reſpondit, *Iul. Capitol. in vita M. Antonii Philoſ. vxorem dimittimus, reddamus & dotem*, de imperio loquens, quod eius ratione erat aſſecutus. Solon, *Alex.ab Alex.li.4. genia.dier.c.8.* quoque ſtatuit, vt qui vxorem ſuam a ſe exturbaſſet, dotem ei reſtitueret: alioquin interuſurium ſeſquidragmale, ob moram reddere cogeretur. Apud Græcos etiam illum morem obſeruatum, dotem repudiatis cõiugibus redditam, docet interpres Homeri, *in Odyſſ.* his verbis, ἔθος εἴ τις ἑκὼν ἐξ οἴκου γυναῖκα ἀπέπεμψε, χρήματα ἀποτίνειν τοῖς αὐτοῖς συγγενέσι, καὶ τῷ πατρὶ, &c. Alioquin vero & iure mulier haberetur pro indotata, ſi dos non poſſit omnino peti, vel pacto, vel alio modo prohibita, vt ait Paulus. *l.ſi pater dotem, 12.de pact.dot.lib.33.P.tit.4 l.vt autem, 16.eo.* Et idcirco illud inutile pactum, in quo idipſum ſit.

2 ¶ Ceterum in reſtitutione obſeruanda plura ſunt, quia illa nõ ſemper in tuto eſt, nec integre repetitur: cum ob inopiam mariti, *l.maritum, 13. & ſeq. & l.* [illegible] *19.ſol.mat.P.l.in condemnatione, de reg.iur.l.non tantum, & l.ſed hoc ita, de re iudica.P.* Ratio ponitur, *in §.1.de not.feud.lib.2 feud.tit.58.* qua in datione fideiuſſores accedere prohibentur, *l.1.& 2.ne fideiuſſor.dot.dent.C.* tum etiam ob pacta & mores, qui huic præiudicium faciunt. Itaq; in primis obſeruandum, quid placuerit de reſtitutione in dotis traditione, inter eos qui dotem repetere poſſunt, *l.1.de pact.dota.* id enim proculdubio ſeruandum erit, *Pompon.l.cum dos, 7. Iulia. l. de die reddendæ, 14.eo.in P. Paul.l.ſi vnus, 28.§.quod & in ſpecie.de pact.in P.l. legem quam dixiſti, C.eod. & l.1.de pact.conuen.C.l.vni.§.illud, de rei vxor.act.C.* ſi terminos præfixos reſtitutioni a lege non tranſgrediantur, in fauorem ſcilicet dotis reſtituendæ citius, non in prorogatione diei, *Caius, l.item, 15. & Paul.l.vt autem, 16. & Procul.l. Attilicinius, 17.de pact.dot. Vlp.l.iuriſgentium, 7.§.vtputa, de pact.in P.* niſi iuſta ſit cauſſa conuentionis huiuſmodi, vt notat Iulian. Iuriſconſ. *l.licet, 18.de pact.dotal.P.* Veluti, ſi longiori dilatione dos ſoluta fuerit, & placuerit eadem dilatione reſtitui patri, cui filia
ſucceſſerit. *Vlp.in l.aliud eſt, 19.de pact.dot.* ¶ Cum † tamen ſub- 3
ſelliis inter aduocatos aſſiduus eſſem, in curia ſuprema Tholoſæ, anni Dom. 1564. 21. Februa. placuit ſenatui in cauſſa cuiuſdam *De las Tours* pacta conuenta matrimonii, quibus pater pollicebatur dotem ſe ſoluturum mille librarũ ſingulis annis per ſeptenas libras, improbata ſunt: & ſtatutum ſemel ſoluẽdam, non obſtante patriæ recepta conſuetudine, quæ eo loci obtinebat: non enim ſunt minima incommoda particularis ſolutionis, *l.3.fam.erciſc.P.* & actus legitimus diem nec conditionem recepit, *l.quoniam in prioribus, de inoff.teſta.C.l.actus legitim.de reg.iur.* poſſetq; interim mori vxor, & lucro hoc priuari maritus, nondum die ſolutionis perfecte adueniente: ſubitque integra onera ſtatim maritus, etſi ſæpius integram vxorem.

¶ Dies † longior erat reſtituendę dotis poſt ſolutionem matri- 4
monii, annua bima trima die, hoc eſt, intra tres annos, *d. l. aliud, de pact.dot.* quod emendatum hodie Codicis iure, *l.vni.§.cum autem, & §.exactio, de rei vxor.act.li.5.C.tit.13.* & cautum, vt exactio dotis celebretur, non annua bima trima die, ſed omnino intra annum, in rebus mobilibus, vel ſe mouentibus, vel immobilibus (ſcilicet aliis quam ſoli, vt nominibus ſeu debitis) ceteris videlicet rebus quæ ſolo continentur, illico reſtituẽdis, diuiſione facta fructuum pro tempore, quo ante durauit matrimonium, *l.de diuiſione, ſol.matr.lib.24.P.tit.3.* remanente tamen priuilegio mariti, eo viuente diſſoluto matrimonio, vt cõueniatur pro iis, quæ in pondere, numero, menſurave conſiſtunt: & pro mobilibus, in quantum facere poſſit, non in ſolidum. *d.§.cum autem l.vni.de rei vxo. actio.l.alia.§.eleganter ſol.matri.P.l.ſunt qui, de re iudica.P.§.item ſi*
*de dote, de action.apud Iuſtin.* ¶ Et † hoc tempus ſicut conceſſum 5
eſt creditoribus dotis ad dotẽ reſtituendam liberum, ſic non prolongatur impune: nam eo exacto ob moram vſuras debent, non quidem ſeſquidragmales tantum, vt pendi iuſſit Solon, ſed quadrantales ex ſanctione Iuſtiniani, *l.cum quidam dotes, §.ſi.de iur.do. C de fructib.l.videamus, 2.§.ſi actionem, de vſur.cum ſimil.* quę ſunt tertia pars centeſimæ. Placuit etiam Senatui Pariſienſi 7. Februarii 1538. *Pap.lib.15.rhapſo.areſto.tit.4.areſt.1* in cauſſa cuiuſdã Catharinæ de Bery, vſuras pro ceſſatione ſolutionis dotis quincũces ſtatuere. Eſt enim ea iuſta æſtimatio prouẽtus patrimonii quæve conſtituit, & æquat veram rei totius æſtimationem in viginti annis. *§.ſi vero alicuius, de non alie.reb.eccleſ. in auth.* Exiſtimauit tamen Angelus, *in §.interdum, & §.fin.de fideiuſſ.in auth.* Iaco. Cyn. & Gofredus, *in l. vnic. §.exactio.* heredem diuitem teneri ſtatim quoque mobilia dotalia ſoluere, nec dari annum: quamuis reclament Bart. *l.diuortio, §.ſi.ſol.matr.* Salyc. *in d.§.exactio.* Videndus at Lud. Rom. *ſing.461.* Alex. *in l.debitorib. de re iudic.in P.* & Paulus Caſtr. *in l. non ſolum ſolu.matrim.* qui intelligunt ſtatim mobilia hunc reſtituere, niſi ex horum retentione annua, iurium mobilium quædam commoda percepturus fuiſſet. vide & Nicolaum Boerium. *conſil.50.num.19.*

¶ Secundo, † ſi pactum nullum ſit reſtitutionis, conſiderare 6
oportet leges municipales, ſi quid ea de re ſtatuant: illæ enim ius facient, ſi obſeruatæ ante fuerint. *Iulia. l. de quibus, 31.cum §.ll. ſeqq. de legib. P.*

¶ Tertio, † obſeruanda eſt dotis diſtinctio, vt ſi profectitia, 7
mortua filiafam. in matrimonio, patri, aut auo, in cuius erat poteſtate, reſtituenda ſit, *l.dos a patre, ſol.matr.C.* ne duplici damno pater, amiſſione inquam filię, & iactura dotis afficiatur, *l.iure ſuccurſum, de iure dotium.* neve iniecta amiſſionis formidine, patres a liberalitate erga liberos exercenda reuocentur. *l.2.de bon.quæ libe. C.* Item quod dos alimentorum cauſſa a patre data videtur, vt ex fructibus ſe alat, *l.dotis fructus, de iur.dot.P.* & vſufructuario mortuo, vſusfructus ad proprietatis dominium redit. *l.1.C.de donatio.*

qua

*quæ ſub mod.l.2.§.morte.quib.mod.vſusfru.amitt.in P.§.finitur, de vſufruct.ap.Iuſtinia.* Quodque, ſi dotem cum Barto. & aliis in locum legitimę ſuccedere credamus, *Bart.in l.Titio centum,de cond. & demonſtr.in P.l.quoniam Nouella,C.de inoffi.teſtam.* præmatura ſit legitimæ datio ante mortem patris. *l.1. §.ſi impuberi, de collat. bono.lib.37.P.tit.6.* Neque etiam iure Pandectarum habebat filiafam. heredes, qui poſſunt ei in dote ſuccedere.

8 ¶ Contingit † autem hic dubitari, num filiafam. decedente in matrimonio cum liberis, ad patrem redeat dos, an vero relinquatur penes liberos. In qua quæſtione duo anteſignani pugnantes, Bulgarus & Martinus, *vide glo.in l.dos a patre,ſolut.matrim.C.* aliis diſputãdi dederunt cauſſas: ille namq; Bulgarus, pertinere ad patrem non obſtantibus quoque putat liberis, quem ſequuti Ioannes, & Azo in Summa tit. ſol. matrim. Martino & Placentino, & aliis diuerſum ſentientibus. Agitatur & fuſiſſime per interpretes, *in l.dos a patre,ſolut.matri. C.& in l.poſt dotem,eod.tit.in P.* Et inibi repetitione omnium copioſa Benedicti de Plumbino, qui tertiam & mediam adiecit ſententiam.

9 ¶ Ego † autem lubens accedo ſententiæ Martini, & filios impedire repetitionem patri cõceſſam arbitror per d. l. poſt dotem: alioquin ſi rediret ad patrem, perperam ſtatutum fuiſſet, *l.illam, C.de collat.* nepotes matris dotẽ teneri conferre patruis in ſucceſſione aui: cur enim conferre dicerentur, ſi non haberent? *l.ſi vniuerſa, C.de lega.* Atque inuenio in iure cautum, *l.ſi.in princ.commun.vtri.iudic.* dotem, quæ ad patrem rediit mortua filia, præcipuam relinqui nepotibus in diuiſione hereditatis, vel familiæ, vt eis quæſitam defuncta matre, non patri audeam dicere: cur enim aliter præcipuam dixeris illis? Et Scæuola, *l.fin.vt legat.ſeu fideico. nomi.cauea.l.36.P.tit.3.* idipſum indicaſſe videtur, dum refert filiam poſſe grauare patrem de dote ſua reſtituenda liberis, ſcilicet nepotibus. Neque quiſquam ambigit filium partem viſcerum matris eſſe, *l.1.5.ex reſcripto, de ven.inſpic.in P.* tenetur autem pater diuortio vel morte mariti ſoluto filiæ matrimonio, eidem filiæ reſeruare dotem acceptam, & reſtituere iterum nubenti, *authen.ſed quamuis,C.de rei vx.act.* cogetur quoque & eandem filiis eius, id eſt, ſuis nepotib. reſtituere vel reſeruare. Non etiam quis inficiabitur, vt opinor, dotis cauſſam præcipuam eſſe, liberos, *l. 1. ſolu.matrim.* quamobrem ſoluto matrimonio morte filiæ (cum liberi ſequantur patrem, non matris familiam) *§.fin. de patr.pot.§. 1.de legit.agnat.tut.ap.Iuſtinian.l.cum legitimæ, de ſtat. homi.* nihil æquius mihi videtur, quam apud maritum & liberos, dotem remanere, eodẽ remanente onere & cauſſa. Apud eum namq; eſſe debet dos, penes quem onera ſunt, *l.ſi maritus,47.& l.ſi filia,20.in princ.& §.1.fam.erciſ.P.l.ſi is qui Stychum, de iur.dot.P.* alioquin hoc iuri naturæ pugnaret, *l.ſecundum naturam, de regu.iur.l.fin §. ſed cum in ſecundam, de furt.lib.6.C.* vt alter onus, alter lucrum haberet. Nec video quomodo auo reſeruetur tantum vſusfructus dotis filiæ, quæ nepotum ſit, ſi dixerimus non filiis, ſed auo quæri, ſcilicet patri filię relinquentis liberos: quod tamen receptum iure eſt. *l.2.& l.quæcunq; de bon.quæ libe.C.* Perpendo item Paulum Iuriſconſultum, dum ait, *in l. quamuis mulier, ſolut.matrim.in P.* mulierem filiamfam. etiam poſſe repetere a marito ſecundo dotem, vt egentibus filiis ex alio viro ſuſceptis, ſubueniat: quia, inquit, iuſta & honeſta cauſſa eſt. Eam autem talem non cenſerem, ſi patri filiorum fauor poſtponeretur: quod ſi licet viuenti, cur non liceat morienti non video: vel committi in legem Fuſiã Caniniam, quæ ſublata vt inuida a iure eſt. *§.1.de leg.Fuſ.Can.toll.ap. Iuſtinia.* Eſtque ſingulariter conſtitutum, vt quod viuenti licet in rebus dotalibus, idipſum liceat morienti. *l.3.de iur.dotium,C.* Succurrit quod filiæ dos proprium patrimonium dicitur, *l.3 §.verum, de minor.P.* & tanquam æs alienum patris, *l fin.de collat. dot. in P.* nec amplius cenſetur in patris bonis eſſe, poſtquam cõſtituta eſt. *l.1.in 1.reſponſo,ad l.Falcid.in P.* Proinde cum hodie mulier habeat heredes iure Nouellarum, *§.1.de hered.ab inteſt.veni.in auth. inteſtato,de ſuis & legit.C.* etſi olim addubitatum fuerit: verius eſſe iudico filios in dote matri, ac in reliquis bonis, vel mutua ſucceſſione Orficiani & Tertulliani id aſſerente. *tit.ad SC.Tertul.& de SC. Orficiano, §.ſi igitur, de hered. ab inteſt.veni.colla.9.* Potior quippe deſcendentium, quam aſcendentium in hereditate cauſſa, *l.1.§.largius, de ſucceſſ.edict.l.nam etſi parentibus, de inoff.teſta.P.* nulla obſeruata differentia poteſtatis. *§.ſi vero neque fratres, de hered.ab inteſt.venien.coll.9.*

10 ¶ Verumtamen † placuit Senatui Gratianopolitano, in dote repetenda, adueniente caſu ſolutionis, adiecto ab extraneo dotẽ dante, non impediri repetitionem a ſuſceptis ex eo matrimonio liberis, anno 1460. *Ioan.Pap.lib.15.rhapſ.areſt.tit.4.areſto* 10. Sic enim & ius ciuile adimit heredi exceptionem extraneo paciſcẽti de dote ſoluto matrimonio, *Paul.l.ob res,20.§.ſi conuenerit, de pact. dotal.lib.23.P.tit.3.* quo caſu reſtringitur §.accedit, l.vni. de rei vxor.act.C. Et hæc de profectitia dicta ſint: & de dote filiæ in poteſtate conſtitutæ. ¶ Si † autem de dote aduentitia agatur, tunc ſi
nihil de eius redditione cautũ ſit, nec municipale ius aduerſetur, 11
mulieri vel eius heredibus reddi debet. *l.vni.§. accedit, de rei vxo. act.C.*

¶ Ex † omnibus autem ſuperioribus collige, dotem ſoluto matrimonio reddendam a marito, vel ab eius heredibus eſſe: proinde pendente matrimonio maritum non poſſe rem dotalem obligare vel alienare, *Caius,l.lex Iulia,4.Vlp.in l.Iulianus, 5.& 6.de fund.dota.lib.23.P.titu.5.§.1.quib.alie.lic.ap.Iuſtinia.l.vni.§.& cum lex Iulia.de rei vxor.act.lib.5.C.tit.14.* etiam conſentientibus coniugibus. *Alex.Imp.l.ſi ſine voluntate, 5.auth.ſiue a me,& authen.ſi qua mulier, ad SC.Velleia.lib.4 C.tit.29.§ ſi quis igitur, vt immobil. ante nup.dona.&c.in auth.coll.5.conſtit.8.§.& illud, vt nul.iudi. lice. habe.loc.ſerua.coll.9.l ſi prædium,24.de iur.dot. C.* Quod legi Iuliæ de fundo dotali fuit additum, ea prorogata ad res non Italicas. *d.l. vni.§.& cum lex Iulia.de rei vx.act.* Et inhibitus actus omnis, per quem dominium transferatur: hoc enim alienationis nomen hic ſignificat, *l.1.de fund.dotal.C.* & alibi, *l.fin.§.ſi.de reb.alien.non alie. C.* quod & vſucapionem complectitur. *Tripho.Iuriſc.l.ſi fundum, 16.de fun.dot.in P.l.alienationis, de verb.ſign. Iuſtinia.in l.in rebus, 30.de iure dotium.C.* Res quippe ſubiectæ reſtitutioni, nõ poſſunt alienari, *auth.res quæ, comm.de legat.§.1.de reſtit.C.& ea quæ par.in 11.men.coll.4.in auth.* & prohibitæ per legem alienari, contractum malæfidei reddunt, & inutilem, *l.quemadmodum,7.de agric.& cenſ.lib.11.C.tit.47.l.non dubium,5.C.de legib.l.Iuriſgentium, §.prætor ait, & l.contra iuris ciuilis, de pact.in P.* vſucapionemq; inhibẽt incipi. *l.vbi lex, de vſucap.P.* Neque ignorare id debuit emens, vel vſucapiens, vel ſi ignorauit, iuris ignorantia non excuſat. *l.regula, de iur.& fact.igno.in P.cum ſim.* Hoc autem fragilitati naturæ mulierum conceſſit Iuſtinianus, ne ob eam in repentinam deducantur inopiam. *l.vni.§.& cum lex Iulia, de rei vxor.act.C.* Sic emendata in fauorem vxorum Iulia, in qua, vt meminit Iulius Paulus li. 2.Selectarum, ſent.tit.22. de dotibus, *Lege Iulia de adulteris,* inquit, *cauetur, ne dotale prædium, maritus inuita vxore alienet.* vbi notanda verba, *inuita vxore,* vt intelligamus non prohibitum ea lege, quin poſtea, ſi conſentiret, maritus alienare poſſit. Vt & Iabolenus firmat. *in l ſi.verſ.idcirco, de pact.dot.P.* Addere poſſumus fragile eſſe mulierum conſilium, *l.aſſiduis,12.qui pot.in pig.hab.li. 8.C.tit.18.l.2.ad Velleia.in P.* quod contra commoda propria laborat. *l.ſi pater pactum,4.de ſponſal.lib.5.C.tit.1.* 12

¶ Verum † hęc obtinere exiſtimandum, dum de immobilibus 13
inæſtimatis datis in dotem agitur, vel de æſtimatis: in quibus electio in repetitione an pretium vel res in ea ſit, ad vxorem pertinet, alias cõtra. *l.1.C.de fund.dota.l.quod ſi fundus,11.eo.in P.* Quia, vt ſupra diximus, tunc res æſtimata emtionis iure in plenum trãſit mariti dominium in mobilibus etiam dotalibus. Quidam hanc facultatem adimunt diſtractionis marito, *glo.in l.vnic.§.& cum lex Iulia, in verbo, alienare, de rei vxor.act.* niſi agatur de libertate præſtanda ſeruis dotalibus, fauore libertatis: vt quidem liceat illos, dotales quamuis, marito manumittere, *l.1.de ſer.pign.dat.manumiſ.C.* alia alienare non liceat. Alii permittunt, dummodo pretium mulieri ſaluum ſit: quum lex Iulia, & eius prorogatio, de rebus ſoli agat nominatim, vt conſequenter in aliis permiſſum cenſeatur. *arg.l.cum prætor, de iudic.in P.*

¶ Ego † permiſſioni ſubſcribo, cum id potius ſit in vtilitatem 14
vxoris, ſi maritus ſoluendo ſit, vendi mobilia, quæ ſeruando ſeruari non poſſunt: argumento bonorum minorum, quorum immobilia diſtrahi non debeant ſine decreto, *tit.de præd.minor.ſine decre.non alien.C.& de rebus eorum qui ſub tut.P.* at mobilia poſſunt, ea ratione. *l.ſi.quan.decre.opus non eſt, lib.5.C.tit 72.l.lex quæ tutores, §.fin.de adminiſtra.tutor.C.* Atque vt facilius intelligamus, hæc ſic diſtinguo, an mobilia in dotem data, ſint eius naturæ, quę in ſuo genere functionem accipiunt, in pondere, numero, & menſura, conſiſtentia: & tunc periculo mariti dari videntur, vt ea diſtrahat, & tantundem ſoluto matrimonio reddat, *Caius, l. res in dotem,43.de iur.dot. in P.l.æſtimatæ,52.ſolut.matrim.P.* nec puto ideo remorari eorum ſolutionem, quod ſoluendo maritus non ſit, cum nec fideiuſſio eius dotis nomine peti poſſit. *l.1.& 2. ne fideiuſ.dot.petan.C.* Aut res mobiles alterius generis ſunt, & tũc ſi æſtimata ſimpliciter ſunt, vendi poſſunt a marito, qui pretium

tantum tenetur reddere: ſi æſtimatæ vt reddantur, non vtique
veneunt ſine reuocationis licentia vxori permiſſa, niſi ea conſen-
tiat vel confirmet. l.æſtimatis, 51.ſol.mat.P. Aut inæſtimatæ mo-
biles ſunt, quo caſu non licet vendere, niſi quæ peritura ſunt, l. 1.
C.de ſer.pig.dat.l.3.C.de iur.dot.l.ſi lapidicinis, eo.tit.in P. etſi ſit ſol-
uendo: quia & culpam præſtat & dolum maritus in his, l.etiam,
19.ſol.matr.in P.l.in rebus, de iur.dot.in P.
15 ¶ Sed † & in immobilium dotalium alienatione reſponſum
eſt, eam valere ex conſenſu mulieris, ſi alienatio ſit neceſſaria, l. 1.
de fun.dota. Firmatur quoque, ſi mortua vxore maritus qui ven-
didit, dotem lucretur, vt ait Martianus. l.fundum dotalem, 17.eod.
in P.l.cum vir, 42.de vſucap.in P.lib.41.tit.3. Item ſi doloſe mulier
verſata fuerit, nempe quod obligante marito rem dotalem præ-
ſens patientiam præbuit, vt quaſi ſuas res maritus obligaret, deci-
pere volens pecuniam dantem, vt ideo Velleiano non reſtituatur.
l.ſi ſine voluntate, 5.ad SC.Velleia.lib.4. C.tit.22.l.2.eod.in P. Exci-
piunt & iuris Pontificii auctores conſenſum iuratum vxoris, vt ſi
is in alienatione liber interuenerit, non vi, non metu pręcedente,
firmet alienationem, c.cum contingat, de iureiur.apud Greg.c.licet,
eod.in 6. quamuis Accurſius contrarium ſcripſerit, in l. vni. §. &
cum lex Iulia, in verbo alienare, de rei vxor. actio. C. ratus contra
prohibitionem legis contractus non firmari iuramento. l. non
dubium, in fin.C.de legib. l.ſi quis inquilinos, §.fin. de leg. 1. Cui ra-
tioni plures aliæ annectuntur a gloſ. in c.cum contingat, de iureiur.
apud Greg. Quæ tamen veræ ſunt, quando contractus habet per-
petuam & abſolutam prohibitionem, quæ tamen in hoc contra-
ctu non inuenitur: nam & mulier poteſt Velleiano renuntiare.
Et ſi iterato poſt biennium quod antea geſſerat firmauerit, non
poteſt amplius pœnitere, ſed ratum eſt negotium. l.iubemus, cum
auth.ſeq.ad Velleia.C.
16 ¶ Petitur † autem reſtitutio dotis, per actionem ex ſtipulatu,
in quam transfuſa eſt rei vxoriæ actio. l.vni.in princ.& §.nemo pu-
17 tet, de rei vxor. act.C. ¶ Et † quanquam prædium dotale aliena-
tum conſenſu ſubſiſtente mulieris reuocari non poſſit, tamen re-
petit proculdubio pretium eius ab heredibus mariti, niſi quate-
nus in vtilitatem vxoris conuerſum heredes docuerint, vt notant
Speculator, tit.de obliga.& ſolut.§.1.verſ.ſed pone vir & vxor, & ibi
Ioan.Andr. Geminia.in c.2.de pact.in 6.Bart.conſil.124.& Chaſſan.
ad conſuet.Burgun. ad tit. des droictz des gens mariez. §.17. verſ.ſed
18 quero, pone quod vxor. ¶ Quod † ſi ex pretio alia res immobilis
emta ſit, illa etſi videatur ſubrogata, tamen dotalis non eſt: ſed
tanquam pro rebus mobilibus annus exſpectandus eſt, exemplo
rerum mobilium dotalium, l.cum in fundo, §.ſi fundus communis.
de iur.dot.in P. & Ludouicus Romanus ita ſe conſuluiſſe tradit.
conſil.227.incip.tu habes, l.vni.de rei vxor.actio.C.
19 ¶ Forum † autem proprium huic repetitioni placuit eſſe eius
iudicis, in cuius territorio maritus debitor domicilium habebat,
agente vxore, l.exigere, & ibi Bartol. Angelus, Caſtrenſ. de iudic. in
P.& omnes fere interpret.in l.cunctos populos, de ſumma trinit. exi-
gente autem extraneo, qui ſibi reſtitui pollicitus ſit, non vtique
verum, vt notant Felinus, in c.1.verſ.4. limita.de ſponſal. Baldus, in
rub.de priuileg.dotis. Boërius, deciſ.50.num.20.21.

## Quando non eſt locus reſtitutioni dotis, vel in toto, vel pro parte.

### Cap. 23.

1 *Dotis repetitionem impedit pactum de lucranda dote, niſi mari-
tus vxorem occidat, vel occiſam non vindicauerit.*
2 *Dos non reſtituitur, ſi eam lucretur maritus ex ſtatuto munici-
pali.*
5 *Dotis partem non lucratur maritus, de qua vxor ſtipulata eſt,
ſibi licere teſtari, etiam ſi non teſtetur.*
4 *Dos promiſſa, nec ſoluta, æque lucro mariti, vt ſoluta eſt.*
5 *Dotis augmentum præmortuo viro Tholoſæ media pars eſt.*
6 *Augmentum integrum debetur dotis: ſi dos fuerit ſoluta, non
aliter.*
7 *Dote non ſoluta, num debetur augmentum, etiam ſi fides de dote
habita ſit, in quo docetur contrarius ſibi Guido Papæus.*
8 *Dotis lucrum & augmenti ſit mortua tantum vxore, vel viro
poſt concubitum, & exſiſtente filia nubili ætate.*
9 *Dotalium rerum, & tantundem a marito collationis facta in
Gallia communicatio.*
10 *Dotem amittebat ea, cuius culpa diuortium fiebat.*
11 *Datum marito non repetitur ſoluto matrimonio.*
12 *Dos adulteræ vxoris conuictæ pertinet ad maritum, & donatio
propter nuptias ad vxorem ex adulterio mariti, niſi liberi
ſint.*
13 *Dotem num amittat propter oſculum, vxor, vt adultera.*
14 *Dotem non amittit nupta, ex adulterio matrimonii anterioris al-
terius non accuſata.*
15 *Dotem ob adulterium vxoris petere non poteſt vir, qui etiam
adulter eſt.*
16 *Dos olim retenta ob malos mores vxoris.*
17 *Dotales res inæſtimatæ datæ marito, cum repertorio ab vxore con-
ſumtæ, non reſtituuntur ab heredibus mariti.*
18 *Dos reddita pendente matrimonio ſoluto iterum repeti nequit.*
19 *Dos ex quibus cauſſis pendente matrimonio, ab vxore repeti poſ-
ſit legitime.*
20 *Dotem num teneatur maritus, vel heredes eius reſtituere, quam
non accepit, vel non petiit a patre vxoris, vel alio qui deſiit eſ-
ſe ſoluendo.*
21 *Inſtrumenta dotem datam dicentia non faciunt fidem, niſi do-
ceatur.*
22 *Dotem quæ impenſæ minuant, vt integra non reſtituatur. Tri-
buta rerum dotalium marito cum fructibus perceptis compu-
tantur, nec minuunt dotem.*
23 *Dotes minui retentione quomodo intelligendum eſt.*

CAſus † aliquos operępretium eſt annotaſſe, quibus ceſſat re- 1
ſtitutio dotis. Primus, ſi pactum factum ſit de lucranda dote,
diuortio vel morte vxoris, tunc caſu contingente, retentio fit, §.
ſcimus, de reſti.& ea quæ par.11.in 11.men.in auth.l.licet dos, de iur.do.
P.l.ſi pater dotem, de pact.dotal.P. niſi is vxorem occiderit, l.ab ho-
ſtib. §.fin.ſol.matr.P. vel occiſæ ſegniter necem vltus fuerit, l.ei qui
mortem, de iis quibus vt indig.P. nec prætextu lucri, eius vitæ inſi-
dietur: quo tempore ab eo dos in fiſcum, non in proximos vxo-
ris, vt ab indigno, transferretur. l.cum mortem, de iur.fiſc. P.facit l.
1.C.de iis quib. vt indig.l.Papinianus, §.meminiſſe, de inoffic.teſtam.
P.l.Claudius, in fin. de iis quib.vt indig.P. ¶ Secundus, † ſi conſue- 2
tudo approbata ſtatuat viro ſuperuenienti vxori, dotem lucro
fore, ſicuti Tholoſæ receptum eſt moribus & ſtatuto municipali,
niſi aliter proſpectum pacto fuerit. in conſuetu.Tholoſ.tit.de acqu.
rer.do.§.2.& tit.de dote, §.2. Et idem obſeruari dixit Cadurci Gui-
lielmus Benedictus, in repet.c.Raynutius, in verbo, mortuo itaque
teſtat.num.34.par.2.
¶ Hic † tamen non omittendum cenſeo, mulierem poſſe te- 3
ſtari de ea quantitate dotis, de qua ſtipulata eſt a marito, vel in pa-
ctis matrimonialibus, vt ſibi liceret: imo ſi non teſtatur, eã quan-
titatem vel partem ſtipulatam, lucrante marito morte vxoris do-
tem, transfert ad ſibi ab inteſtato ſuccedentes. l.ſi mulier, 25.de
iur.doti.lib.5.C.tit.12. Meminit & ſimilis cuiuſdam ſtatuti Salycet.
in d.l.ſi conſtante, ſolu.matr. Guid.Pap.deciſ.665.n.3. ¶ Placet † & 4
lucrum mediæ partis dotis, vel totius, præmoriente vxore, mari-
tum quærere, etſi dos ſoluta, pendente matrimonio, non fuerit,
ſed tantum promiſſa: quia ex ſola promiſſione mulier dotem ha-
bere videatur. gloſ.in l. vnic.§. accedit, in verbo fecerit, de rei vxor.
act.C.expreſſe Pap. in l.cum poſt mortem, 44.§.1.de adminiſtr.tut.li.
26.tit.7.P. Et cautionem dare, & cautionem accipere pro eodem
habentur. l.fin.ad l.Falcid.lib.5.C.tit.49.l.ſi patron.de donat.in P.l.
3.§.edicto, de calum. ¶ Sic † etiam præmoriente marito ex con- 5
ſuetudine Tholoſana, mulier, quæ per annum luxerit virum, lu-
cratur pro additamento dotis, quod vocamus adiancamentum,
tantum, quantum eſt media pars dotis ſuæ: vt ſi in dotem mille li-
bras dederit, reſtituantur illi mille quingentæ. Et ita obſeruatur
ex conſuetudine non ſcripta, vt omnes Tholoſæ norint, & notat
Ioannes de Caſa veteri. in comment. conſuetud. Tholoſ. in §.fin. de
neceſſar. vxor.& viduar. In quo falſus eſt Guilielmus Benedicti,
dum ait, in cap. Raynutius, ad verba & vxorem nomine, num.62.
mulierem ſuperſtitem marito, viduam agentem vitam per an-
num, lucrari tantum tertiam partem dotis ſupra eius ſummam:
nam media non tertia eſt, tertia tamen Cadurci.
¶ Vera † nihilominus ſunt reliqua quæ ſubiicit, ita demum 6
lucrum hoc deberi vxori ſuperſtiti, ſi dos ſoluta ex integro ſit: a-
lioquin pro modo ſolutæ, mediam partem lucri, non ratione to-
tius promiſſæ, eſſe perpendendam.
¶ Vel † nihil lucrari, ſi nihil attulerit, etſi fides de ſolutione ha- 7
bita fuerit: quo caſu Senatus Tholoſani placitum inter Raymun-
dum Pageſe & Annam de None viduam fratris Raymundi, pro-
latum 26. Aprilis 1505. ſingulare eſt ab eodem annotatum. Idem
Bene.vbi ſup.vide Nicol.Boer.deciſ.22.nu.19.& 23.& 17.21.22.24.
25.& 26. cui adſtipulatur ius ciuile, authen.ſed quæ nihil.C.de pacti
conuent.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*conuent.§.illud §.pen.de non elig.ſec.nuben.colla.1.Auth.dos data,in*
*fin.C.de donat.ante nupt.Ang.ad § fuerat,col.17.ibi,& aduertas,de*
*act.*Et in hac quæſtione valde incertus, nec ſatis conſtans Guido
Papęus mihi videtur,ſiquidem ſibi ipſi aduerſarius eſt:in quęſtio-
ne namque 30.aſſerit ſe in ea opinione fuiſſe, vt nõ debeatur au-
gmentum,ſi dos non fuerit ſoluta.*Supra* inquit,*q.274.tetigi qua-*
*liter augmentum dotis,ſiue donatio propter nuptias, facta vxori con-*
*templatione matrimonii,non debetur,niſi dote ſoluta,ſed pone,&c.*Et
paulo poſt tamen ait,*ex forma inſtrumentorum,qua*, inquit,*fides*
*fit de dote,vxor lucratur dotem,ſiue maritus terminos*(ſunt eius ver-
ba)*dederit ad ſoluendum dotem,ſiue non.* Eadem poſtrema firmat
& in quæſt.565.quibuſdam rationibus. Adſtipularer ego luben-
tiſſime,vt debeatur augmentum etiam non ſoluta dote,ſi dilatio-
nem dederit ſoluendi dotem maritus, intra quam mortuus fue-
8 rit,prout quæ adducit Papęus intelligi poſſunt.¶Et † habita con-
ſideratione,vt mulier fuerit traducta in domum mariti,vt de lu-
cro etiam dotis conſuetudines intelligunt,§.1.& 2.*de dotib.in con-*
*ſuet.Tholoſ.*exceptaque cauſſa vt dicemus adulterii. Sed & requi-
ritur in traductione,vt ætatis ſit nubilis, antequam lucretur mor-
te eius dotem vir,vel cum ea concubuerit in domo vel alibi,vel
per eum non ſteterit,ſed per illam,puta ingreſſam monaſterium.
Sic enim tradunt interpretes Baldus, Ludouicus Bolognenſis,
*Bal.in l.penult.§.fin.quod cum fal.tut.auctor.act.& ibi Ludou.Bo-*
*logn.in primis annotatio Bal.conſ.276.2.vol.Abbas Siculus,conſ.79.*
*vol.*1.& alii, quos videbis apud Nicolaum Boerium relatos,*deciſ.*
*22.num.37.& ſeq.*Boerius *quæſt.22.num.40.& 41.*tamen refert iu-
dicatum die 13.Auguſt.1534.a Burdeg.Senatu,& Pariſienſi,quod
ſi vxor quę pacto non tenebatur,niſi poſt quinquennium,dotem
dare,deceſſerit ante,maritum vi ſtatuti non lucrari dotem,vt no-
tant Angelus,*conſil.158.incip.quod ſi aliquod.* & Iaſon *l.ſi donatu-*
*rus,§.fin.*& tamen vxorem,decedente marito intra terminum,lu-
9 crari adiancamentum.¶Sunt † mores itaque nationum & loco-
rum perpendendi. Meminit antiquæ conſuetudinis Gallorũ Iu-
lius Cæſar *lib.6.bell Gall.*hac de re,iiſdemque,quę ſequuntur,ver-
bis,*viri quantas pecunias acceperunt ab vxoribus dotis nomine,tan-*
*tas ex ſuis bonis æſtimatione facta cum dotibus communicant. Huius*
*omnis pecuniæ coniunctim ratio habetur,fructuſq; ſeruantur vter eo-*
*rum vita ſuperarit,ad eum pars vtriuſq; cum fructibus ſuperiorum*
*temporum peruenit.*

10 ¶Quartus,† ſi culpa vxoris diuortium factum fuiſſet, lucraba-
tur maritus dotem,quemadmodum & illa donationem propter
nuptias,ſi culpa mariti,*l.conſenſu,§.hæc niſi,& §.ſin autem aliter,&*
*§.ſin autem cauſſam,de repud.C.leg.Lucius,ſol.matri.in P.*videlicet
quando aliter vxori reddenda dos eſſet, non autem ſi alius præter
illam quæ dedit,cauerit ſibi adueniente diuortio vel morte.Huic
namq; nullo modo nocet culpa vxoris diuertentis,*l.ſi dotem ma-*
*rito,de iur.don.in P.*neque etiam filiæfam.repudium patri in dote
profectitia præiud caret,*l.dubium,C.de repud.l.ſi filia,de diuort.in*
*P.l.filiæ emancipatæ,ſol.matri.in P.*

11 ¶Quintus,† ſi donationis puræ titulo,ante matrimonium,vel
pendente,aliquid datum a patre vel matre marito, ſoluto matri-
monio non repetitur,*l.ſi mater veſtra,12.de don.ante nupt.lib.5.C.*

12 ¶Sextus,† ſi mulier in adulterio deprehenſa & conuicta ſit,
dote priuatur,vt innuit Horatius *Saty.2.lib.1.ſermonum,in fi.*dum
de adultera loquitur.

*——ve pallida lecto*
*Deſiliat mulier:miſeram ſe conſcia clamet,*
*Cruribus hæc metuat: doti, deprehenſa.*

Nempe ſi mulier adulterium committat, & eius criminis expers
ſit maritus:dotem enim tunc lucratur,*c.plerunque,de don.int.vir,*
*& vxo.in P.l.conſenſu,8.§.virum,de repud.C.& ibi gl. videnda.* ſi li-
beri ex eo matrimonio non fuerint. Nam ſi ſint,illorum dotis erit
proprietas,vſufructu tantum ad virum pertinente,vt notat Ioan.
And.*ad d.c.plerunq;.*

13 ¶Sicuti † & lucratur donationem propter nuptias vxor,ſi ma-
ritum reum adulterii peragat,*l.fin.C.de repud.*Porrigit & Bal.*in c.*
*tuæ,de procurat.*amiſſionem dotis,veluti ob adulterium,ſi vxor la-
ſciuioſe & turpiter paſſa ſit ſe oſculari, aut manus amatorias ad
mammas admoueri. Subſcribit Io.de Ripa *in Rub.de iud.col.3.* &
alii,quos ipſe refert:putarunt namque ea certiſſima eſſe præludia
ad adulterium,potiſſimum apud Italos & Hiſpanos,vt ait Ouid.1.
*de art.aman.*

*Oſcula ſi dederis,fiam manifeſtus amator,*
*Et dicam,mea ſunt,iniiciamq; manus.*

Firmant & has ſuſpiciones gloſſæ iuris ciuilis,*gl.in l.quod ait,23.in*
*verb.in ipſis,ad l.Iul.de adul.in P.facit c.1.quib.mod.feu.am.in vſib.*
*feu.*& pontificii,*gl.in c.ne aliqua,27.q.1.facit c.tuæ,de procurat.*ve-
rumtamen ego non exiſtimo hoc verum in Gallia, & ſic ſequor
Dyn.*in l.2.ſol.matr.in P.*ita ſentientem,& Alcia.*lib.4.parerg.c.10.*
Adulteriumq; hic factum,non faciendum cõſidero, cum has in-
ter moras faciendi pœnitentia cogitationis poſſit reuocari a cri-
mine,vt de falſa moneta dicitur,*in l.qui falſam,ad l.Corn.de falſ.in*
*P.*¶Atque † hęc quoq; in adulterio commiſſo tempore eius ma- 14
trimonii,de quo agitur,intelligere par eſt: nam qui alias meretri-
cem,vel adulteram, impudicamve duxerit, ob id repudiare non
poterit,nec dotem vſurpare.Sicuti iudicatum a C. Mario præto-
re,pro Fannia vxore Ticinii Mintuonenſis,apud Val.Max.*libr.8.*
*tit.2.in Mario.*contra Ticinium.¶Sed † & obſeruandũ hic quoq;, 15
vt ab adulterio alienus ſit maritus,qui lucrũ quærat,id eſt,vt neq;
ipſe adulterium cum alia commiſerit: nam tunc non lucraretur,
*c.intelleximus,de adult.* ſed delicta mutua compenſatione tolle-
rentur,*l.viro & vxore,ſol.matr.P.* Neq; etiam mores vxoris cor-
rupiſſe arguatur,vel lenocinium admiſiſſe: pari enim modo a lu-
cro ſubmoueretur,& ab accuſatione,& indignus lucro, pœna af-
ficiendus eſſet vterque.*l.cum mulier,eo.l.1.& l.mariti lenocinium,*
*ad l.Iul.de adult.in P.l.crimen lenocinii,C.eo.*

¶Olim † ob malos mores vxoris ſoluto matrimonio retine- 16
batur dos,quam vxor iudicio de moribus perdebat:ſicut Cn.Do-
mitius iudex pronuntiauit, mulierẽ videri plus vini bibiſſe,quam
valetudinis cauſſa poſceret,viro inſciente,&dote mulctauit,teſte
Plin.*lib.14.c.13.* Hoc tamen poſtea iure expunctum,vetita ob id
ſolutione & retentione dotis.*l.vn.§.taceat,de rei vxo act.C.l.fi.C.*
*de repud.& rub.C.de repud.& iud.de mor.ſubl.*

¶Alius † caſus etiam notabilis & quotidianus,vt ſi mulier bo- 17
na habens mobilia,ea det marito cum inuentario vel repertorio,
ſi ea conſumantur pendente matrimonio, heredes mariti nõ te-
nentur ad æſtimationem, vt notat Bald. *in l.de his,per illum tex.*
*C.de donat.inter virum & vxor.* & Chaſſan.*in conſuet.Burgun.tit.*
*des droicts appartenans a gens mariez.§.3.ad verba,& acqueſtz.verſ.*
*item quæro mulier,&c.& in §.24.eiuſdem tit.in vlt.eius annot.*niſi
æſtimatæ datæ eſſent res:quia tunc conſumtio nõ minuit dotem,
*Bal.in l.æſtimatæ,ſol.matr.in P.*

¶Ceſſat † etiam ſoluto matrimonio dotis integra repetitio, ſi 18
iam anticipata ſolutione maritus reſtituerit: Bona fides enim re-
pugnat,vt idem bis exigatur,vt ait regula iuris, *l.bona fides,58.de*
*reg.iur.P.l.emtor,C.de euict.cum ſimilib.*bonæ fidei autem actio eſt
hæc repetitio,*l.vn.ſed etſi non ignoramus,de rei vxor.act.C.l.ſed et-*
*ſi ideo,ſol.matr.in P.*

¶Sunt † quippe plures cauſſæ, quæ permittunt cõtra regulam 19
generalem,*l.vn.ſi dos conſt.matr.reddit.fuer.lib.5.C.tit.19.*ſingula-
ri quadam humanitate & æquitate dotem ante ſolutũ matrimo-
nium repetere:vt ſi alterius thori liberos legitimos fame pereun-
tes,vel ab hoſtibus captos,quibus ſubueniendum ſit, habeat: aut
ſi alendi ſint eius parentes,vel fratres,vel aliæ neceſſarię perſonæ,
*l.quamuis,& l.ſed etſi ideo,ſol.matr.in P.l.murus,§.fin.& l.fi.de iur.*
*dot.in P.*vel ſi maritus ad inopiam vergat, & declinent eius facul-
tates,*l.vbi adhuc,de iur.dot.C.l.ſi conſtãte,ſol.mat.in P.Auth.quod*
*locum,de colla.*Vt & iudicatum in Senatu Pariſienſi 13.Febr.1497.
*Papin.lib.15.Rhapſod.areſt.tit.4.areſt.3.*Item ſi vir deportetur ma-
nente matrimonio,*l.1.C.de repud.l.ſi maritus,ſol.matr.in P.*

¶Sed † num decedente vxore vel marito, cum dos repeti po- 20
teſt a marito,poſſit impediri,dicente marito vel heredibus eius,
ſe non eam accepiſſe a patre promiſſam. Et certe quidam dicunt
hanc negligentiã nocere marito & eius heredibus, non vxori qui
petit,ac ſi accepta fuiſſet,*Maſſuer.in tit.de præſcri.verſ.item & res*
*dotalis,per tex.in l.ſi fundum,de fundo dot.*quia promiſſione facta
in maritum transfertur periculum.Contrarium tamẽ verius, nec
teneri maritum,*l.ſi extraneus,§.ſed ſi pater,de iur.dot.*niſi ipſe remi-
ſerit dotem ſine conſenſu vxoris,aut confeſſus fuerit ſe recepiſſe,
quam nõ recepit,quia videtur donare,*l.ſi quis pro vxore,§.ſi vxor,*
*de don.inter vir.& vx.P.l.quamuis,§.Marcellus,ad Velleia.* vel niſi
mortuo patre promittente,neglexerit petere ab herede eius,tũc
enim imputabitur,*vide Boer.deciſ.329.*¶Sed † & dos inſtrumen- 21
torum tantum tenore conſcripta,& quæ non probatur corpora-
liter tradita,non repetitur a muliere,vt data, ſi mariti bona fiſco
addicta ſint,*l.ſi quis poſthac,de bon.proſcr.C.* nec etiam ſi alii credi-
tores ſint mariti,qui præferuntur,*l.prædia,de acq.poſſ.in P.l.ſi cui,*
*C.de non num.pec.*Nec creditur inſtrumẽtis, quæ quotidie ea for-
mula fiunt,dotem datam fuiſſe: niſi doceatur de reali datione ſe-
cundum ſing.vnam gl.*in d.l.ſi quis poſthac,l.9.in verb.dotalium.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

22 ¶Minuunt † etiam alia dotem, vt integra non reſtituatur, im-
penſæ factæ in res dotales vtiles, & neceſſariæ, §. *ſi minus, verb. ob
retentionem, de act. l. 1. & l. quod dicitur, in 1. & 2. ſic incip. & l. vtiles,
de impenſ. in reb. dot. fact. in P.* nō voluntariæ, *l. ſi voluntariis, eo. tit. l.
vni. §. ſed nec impenſas, de rei vx. act.* vel modice neceſſariæ, *l. omni-
modo, de impenſ. in reb. dotal. fact.* ſicut nec tributa pro rebus dota-
libus ſoluta, vtpote cum fructibus conferenda, *l. neq; ſtipendium,
de impenſ. in reb. dotal. fact.* An autem minuant dotem in caſtrum
expenſæ pro defenſione eius, & pro lite ad recuperationē rerum
dotalium, Iaſon late explicat, *in §. ſi minus, verſ. ob retentionem, nu.
3. 4. 5. de action.* Minuit & funeris impenſa dotem, vt ſupra docui-
23 mus, *l. in eum, cum 7. ſeq. de relig. & ſumt. fun.* ¶Ceterum † hoc ob-
ſeruatione dignum hic exiſtimo cum Paulo Iuriſconſ. *l. ſi is qui,
57. § quod dicitur, de iur. dot. in P.* vt quod dicitur, impenſas neceſ-
ſarias dotem ipſo iure minuere, non eo pertineat, vt ſi forte fun-
dus in dotem ſit, deſinat aliqua ex parte dotalis eſſe: ſed niſi im-
penſæ reddantur, aut pars fundi, aut totus retineatur: ſed ſi tātum
in fundum dotalem impenſum ſit, per partes, quanti fundus eſt,
deſinere eum dotalem eſſe Scæuola dicebat, niſi mulier ſponte
marito intra annum impēſas obtulerit. Quod notabile duco, pro
repetitione dotis, cui incremētum ſeu adiancamentum pro mo-
do & quantitate eius accedit, vt impenſæ non minuant conſtitu-
tionem primam dotis, ſed retentionem lucri vel dotis pro rata
parte inducant, ſalua conſtitutione.

## De priuilegiis dotis in hypotheca & aliis.
## C A P. 24.

1 *Priuilegia dotis quatuordecim.*
2 *Doti ſoluendæ obligata bona vxoris, & contra repetitionis eius
cauſſa bona obligata mariti.*
3 *Dotis repetendæ cauſſa vxores habent hypothecam in bonis ma-
riti, etiam potiorem anterioribus creditoribus, & rationes dan-
tur.*
4 *Vxor in repetitione dotis, an præferatur creditoribus expreſſam
anteriorem hypothecam habentibus.*
5 *Num pro confeſſata dote, præferatur in hypotheca anterioribus
creditoribus vxor, & fiſco.*
6 *Dotis hypotheca initium temporis habet a die contractus matri-
monii, etſi tunc ſoluta non fuerit.*
7 *Caſus quibus priuilegio non vtitur prioritatis hypothecæ vxor.*
8 *Hypothecæ priuilegium non datur extraneo repetenti dotem.*
9 *Hypotheca, quæ mulieri pro dote repetenda prioritatis competit,
non datur ei pro additamento repetendo.*
10 *Dotis priuilegium aliud, vt alienari nequeat.*
11 *Dotis priuilegia alia. Et ſuppleri in ea ſtipulationem de reſtitu-
tione: ſitq; actio pro ea bonæfidei: ſummariam habeat notionem:
incerta certa arbitrio reddi poſſit, &c.*

1 PRiuilegia † dotis 14. enumerantur & probantur a Ioanne P.
de Ferrariis, *in for. libe. quo vxor agit pro dote, in ſua praxi.* & per
interpret. *in l. 1. ſol. matri. in Pandectis.* Ea paucis complectar, dem-
to priuilegio hypothecæ, de quo cum frequens & vtilis, varia &
difficilis ſit quæſtio, paulo latius agam, quam de ceteris: atque ab
eo, initium ideo faciemus.
2 ¶Sicuti † bona vxoris pro dotis præſtatione tacite obligata
cenſentur, *l. 1. § & vt plenius, C. de rei vxor. act.* ſic & viri, pro reſti-
tutione, *d. l. 1. & eod. §.* quod priuilegium, & in eorum ſucceſſores
tranſit, *§ fuerat, de actio.* Vt proſpiciatur conſeruationi & repeti-
tioni dotium, hypotheca facit: plus cautionis namque in rem,
3 quam in perſonam, *l. plus cautionis, de reg. iur. P.* ¶Placuitque † Iu-
ſtiniano *l. aſſiduis, 12. qui potior. in pign. hab. lib. 8. C. tit. 18.* mulieres,
quæ dotes tradiderunt maritis, ſiue res illorum exſtent, ſiue diſſi-
patæ ſint, habere ius repetitionis & hypothecā potiorem in bo-
nis mariti, ſupra omnes creditores mariti in hypotheca etiā prio-
res & anteriores: rationeſque adferuntur, quia de ſuo, non de bo-
nis vxoris ſatis faciendum creditoribus. Cui ſimile, quod vxor pro
marito non teneatur, *tit. ne vxor pro marit. C.* & inter alios acta a-
liis non præiudicent, *Rub. cum ll. res int. alios acta, &c. C. l. iuriſgen-
tium, §. ante omnia, de pact. cum ſimil.* Dehinc dotis natura eſt ina-
lienabilis, *vt ſup. diximus, & l. lege Iulia, de fund. dot. P. §. 1. quib. ali.
lic. vel non, cum ſimil.* vt rem ſuam ſemper, non mariti retinere vi-
deatur mulier, & pro victu & alimētis ſuis. Accedit & liberorum
fauor, vtq; habeant mulieres, vnde nubere poſſint: fragilitas mu-
lierum inſuper, pariendi pericula, *hæc omnia d. l. aſſiduis, qui pot.
&c. C. l. 1. ſol. matr. in P. l. 2. de indic. vid. tollen. C. l. 3. de priuil. cred. P.*

Et antea quidem conceſſa fuit prælatio mulieribus pro rebus do-
talibus, exſtantibus creditoribus in hypotheca præcedentibus
tempore, *Iuſti. l. vbi adhuc, 29. & l. in rebus, 30. de iur. dot. C.* verum
poſtmodum & Iuſtinianus idem etiam ad nō exſtantem dotalem
rem, & pro ea conceſſit hoc priuilegium, vt creditoribus pro do-
tis repetitione præferantur habentibus tempore anteriorem hy-
pothecam, *d. l. aſſiduis, qui pot. C. § fuerat, de act.*
¶Verum † non ſine cōtrouerſia eſt, num & præferatur haben- 4
tibus priuilegium expreſſę anterioris hypothecę? In qua re voluit
Accurſius *in d. l. aſſiduis, in verbo licet*, non præferri expreſſæ ante-
riori, ſed anteriori tacitæ, vel generali, quod ſequuntur Ioannes
Faber, Bartolus, Baldus, Iacobus Butrigarius, Angelus, Salycetus,
*præd. auctores, in d. l. aſſiduis, & iterum Faber & Aret. in §. fuerat, de
actio.* & ita deciſum quoque fuit in Capella Tholoſana, *deciſ. 218.
Capel. Tholoſ.* Præfertur ergo mulier tantum habentibus tacitam
anteriorem, dummodo dos data fuerit. ¶Nam † ſi confeſſata eſſet 5
tantum, nec numerata, non gauderet hac prælatione, *Aufrer. in d.
deciſ. facit l. ſi quis, de bon. damn. C. & interpr. in l. 1. ſol. matr. gloſſ. in l.
aſſiduis, in verbo datæ, qui potior. C.* Quanquam Bartolus *in d. l. aſſi-
duis, citat. & l. 1. de dot. cau. non num.* tractet contrarium verius, vt
pro confeſſata habeat locum priuilegium, ſi renuntiatum ſit ex-
ceptioni non numeratæ pecuniæ, vel biennium elapſum ſit, quo
ea exceptio opponitur, *l. final. C. eod. de dot. cauſſ.* Quidam, vt Ioan-
nes ab Imola, *in l. 1. ſolut. matrim. P.* Angelus Aretinus *§ fuerat, de
actio.* Baldus *in l. cum aliquis, de iur. deliberan.* dicunt Accurſii ſen-
tentiam procedere indiſtincte, quando mulier concurrit cum a-
liis creditoribus probantibus veram debiti numerationem, vt
præferantur tunc mulieri, quæ tantum habet ſolam confeſſio-
nem vel renuntiationem exceptionis non numeratæ pecuniæ,
vel lapſum temporis biennii, & idcirco fictam numerationem.
Tunc enim cauſſa onerosa, & creditores, qui certant de damno
euitando, præferuntur mulieri, quæ lucrum aucupatur, *facit §. de-
dimus autem, de æqua. dot. collat. 7. dum agitur de augmento dotis re-
petendo fictitio.* Præſumiturque iſta confeſſio, ſi facta conſtante
matrimonio, de receptione dotis, etſi de numeratione non do-
ceatur, in fraudem, & donatio inter virum & vxorem, *l. fin. §. licen-
tia, de iure deliberand. C. l. omnes, 17. §. final. quæ in fraudem cred. lib.
42. P. tit. 9.* Quo caſu tantum Angelus Aretinus *ad §. fuerat, num.
18. & 19. de action.* veram eſſe putat gloſſam *l. aſſiduis, qui potior. C.*
vt tunc non præferantur vxores expreſſam hypothecam anterio-
rem habentibus: contra autem ſi confeſſio facta fuerit ante ma-
trimonium, quo caſu pro expreſſa numeratione confeſſionem
haberi tradit. Idipſum verum, ſi creditores moroſi fuerunt in op-
ponenda exceptione, & lapſum fuerit tempus opponendi, *ſic diſ-
tinguit Alexand. in l. 1. ſol. matrimon. P. & ita iudicatum, vt refert
& diſputat Boer. deciſ. 330. facit l. in contractibus, §. in omn. iuncta
aut. ſeq. de non numer. pec. C.* Aufrerius autem *in deciſ. Capel. Tho-
loſ. 217.* cum Salyceto *in d. l. aſſiduis, qui potior.* reſoluit diſtinguen-
do, vt ſi creditor & vxor habeant vterque expreſſam hypothecam
in bonis mariti, potior ſit iure qui prior tempore: ſi autem vter-
que tacitam, mulier pręferatur etiam poſterior tempore, pro do-
te data: excepto fiſco, qui ſi tacitam habeat concurrens cum ta-
cita mulieris, præfertur inter eos qui tempore potior. Quod ſi al-
ter horum habeat expreſſam, alter tacitam, expreſſa præfertur ta-
citæ etiam anteriori, *Interpret. gloſſ. & text. l. 2. de priuileg. fiſc. C.*
¶Hoc † vnum notabile tamen, hypothecam mulieris initium ſu- 6
mere, non a ſolutione dotis tantum, ſed a tempore initi & con-
ſummati matrimonii, quamuis tunc tradita non fuerit. Quod
pluribus firmat rationibus & auctoritatibus Nicolaus Boerius
*deciſion. 133.* vt etiam expreſſa poſtea hypotheca non abroget
præcedentem tacitam generalem, ſed vtraque maneat, *idem Bo-
er. deciſ. 332.* A traditione etiam ante facta, quam matrimonium
ſequatur, incipit: quare & in ſponſa locum habet priuilegium,
dotem repetente, *l. 2. §. fi. de priuileg. credit. in P.* ¶Neque † omit- 7
tendi ſunt caſus, quibus mulier potior non eſt in hypotheca, ex-
preſſi in iure: veluti in eo, qui prior mutuauit pecunias marito, e-
mendæ militiæ cauſſa, *§. his conſequens, & § ſeq. de æqual. dot. in Au-
then. coll. 7. conſt. 8. Authen. quo iure, qui pot. in pig. C.* in primipilari
cauſſa, *l. ſatis, C. in qui. cau. pig. vel hyp. tac. cont. l. 3. de primipil. lib. 12.
C.* niſi dotales res exſtent, quas repetet, *l. de priuil. fiſc. C.* ſi concur-
rat vxor cum alia repetitione dotis eiuſdem priuilegii, in quibus
iure communi & prærogatiua vtendū eſt, *l. aſſiduis, §. & ideo, cum
§§. ſeq. & Authen. ſi quid, qui potior. C.* Si tamen liquido conſtet res
ſecundas vxoris eſſe, & exſtare illas, recte aduerſus omnes ſibi vin-
dicabit, *iuxta Auth. ſi quid ex rebus, C. eo.*

¶In

8 ¶In † hoc prælationis etiã dotis in hypotheca priuilegio, duo
ſingularia annotanda: vnum, quod hoc quod datur mulieri, competat & ſuo heredi, non autem extraneis, ſi eis reſtituenda ſit, vt
ait Iacobus Ferrarienſis, *in pract. titu. de for. libello, quo vxor agit ad*
9 *dotem, in 8. priuileg. dotis, per l. 1. C. de priuil. dot.* ¶Alterum, † quod
priuilegium pro dote iure hoc prælationis competens, non datur pro donatione propter nuptias, ſeu adiancamento, vel dotis
incremento repetendo, ſed ordo iuris & temporis in eo ſequendus eſt, § *his conſequens, de æqual. dot. in Authen. l. aſſiduis, §. hæc autem, qui pot. in pig. hab. C. §. illud, de æqual. dot. in Authen. coll. 7.* Sed
hæc hactenus de prioritate hypothecæ, dotiſque primo priuilegio, nempe quod ratione fauoris eius, *arg. l. in ambiguis, de reg. iur.*
in ambiguo præcedere dotis obligatio cẽſeatur debitum alterius
10 generis, quod datum & eſt ſucceſſoribus. ¶Aliud † priuilegium
dotis erit, quod inalienabilis ſit, de quo ſupra diximus. ¶Tertiũ,
11 vt ſuppleatur omiſſio ſtipulationis, *l. 1. de rei vxor. act. C. § fuerat, de act.* de dote reſtituenda, quod etiam tranſit in quemcunque alium ſucceſſorem. Quartum, vt & ſit actio bonæfidei, contra naturam ſtipulationis, *§. in bonæfidei, & §. fuerat, de act. contra l. quicquid aſtringendæ, de verb. oblig.* Quintum, quod ſummarie ſit in ea procedendum, *d. Ferrar. vbi ſup. l. 3. de re iudic.* circumciſis dilationibus, *l. 1. de feriis.* Sextum quod dos incerta, arbitrio tertii poſſit certa reddi, *l. cum poſt, §. gener, de iur. dot. in P. contra l. ita ſtipulatus, de verb. oblig.* Septimum, quod mulier dotem promittẽs, non reſtituitur Velleiano, *l. fin. C. ad Velleian. contr. reg. iur. com.* Octauum, res inalienabiles ſubiectas reſtitutioni, cauſſa dotis poſſe alienari, *Authen. res quæ, comm. de lega. C.* Nonum, quia pater cogitur filias dotare, vt dictum in oneribus matrimonii officio iudicis, *l. qui liberos, de rit. nupt. in P.* Decimum, quod repetenti mulieri non poſſit obiici compenſatio, vel rerum amotarum vel aliorum debitorum, *l. vni. §. taceat, de rei vxo. actio.* quod priuilegium non tranſit in heredes eius. Vndecimum, quod in dote aduentitia, filiafam. ſine patre in iudicio eſſe poſſit, *gl. & interp. l. 2. §. quod ſi in patris, ſol. matr.* Duodecimum, quod dos non præſumitur communicata in ſocietate generali, ſed excepta, *l. actione, § fi. cum l. ſeq. pro ſoc. in P.* poteſt tamen ſi placuit, *colligitur ex l. Lucius, §. impuberes, de legat. 2. l. ſi ſocius pro filia, pro ſoc. in P.* Adde decimũ tertium, vt laudemia non debeantur, ſi res emphyteoticaria ſine æſtimatione in dotem detur, *Iaſ. in l. 3. 9. q. & Salyc. de iur. emphyt. C. Aufrer. in deciſ. cap. Tholoſ.* 278. quia dominium tunc iure naturali remanet penes vxorem, *l. in reb. C. de iur. dot.* Quamuis iure ciuili efficiatur dominus maritus pendente matrimonio, & cum conditione, *l. doce ancillam, de rei vind. C.* tamẽ, niſi æſtimata: quia tunc facit æſtimatio emtionem, *l. quoties, C. de iur. dot. l. plerique, §. fin. eod. in P.*

## De donationibus inter virum & vxorem.

### Cap. 25.

Lib. 24 P. tit. 1. Lib 5. C. tit. 16. Lib. 4. Decret. tit. 20.

1 *Continuatio tituli ad ſuperiora.*
2 *In donationibus inter coniuges tria tempora inſpicienda, ante, & poſt nuptias, & nuptiarum.*
3 *Donationes inter virum & vxorem, nec directe, nec indirecte valent.*
4 *Donationes cauſſa mortis inter coniuges, quæ valent.*
5 *Donationes inter coniuges reuocantur tantum illæ, quibus donãs fit pauperior, & accipiens ditior, non aliæ: & ideo fructus conſumti non reſtituentur, nec minuta donata.*
6 *7. Amor mulierum exhaurit bona amantium.*
7 *Donationes in focarias militibus prohibitæ.*
8 *Donationes affectionis gratia in meretrices valent.*
9 *Amoris furore nihil vehementius, dignus ideo venia.*
10 *Donatio inter coniuges non prohibetur, vt inter maleuolos, ſed vt inter coniunctos.*
11 *Contractus inter coniuges alii quam donationis, permiſſi.*
12 *Donationes ſecundæ inter coniuges prohibitæ, ne venalia fiant matrimonia.*
13 *Amor verus ſolis animis, ſine pretio conſtat.*
14 *Mulierum ingenium flexibile & volubile.*
15 *Donationes inter coniuges item prohibitæ, ne cura & ſolicitudo amitterentur.*
16 *Donationes ante matrimoniũ factæ, collatæ in tempus matrimonii improbæ inter coniuges.*
17 *Donatio inter coniuges quando valeat, veluti ſi plebeius maritus vxori det nobili, ſiue ſenex puellæ, & rationes horum.*
18 *Donationes, quæ donanti conferunt aliquam vtilitatem, veluti remuneratoriæ, valent inter coniuges, vt in dignitatem, in refectionem domus exuſtæ, monilia, alimenta.*
19 *Veſtes pretioſæ, & aliæ a marito vxori donatæ, an marito vel vxore mortuis reſtitui debeant.*
20 *Donata monilia, armillæ, bullæ vxori, quomodo vxoris ſint, & quando reſtituantur.*
21 *Statutum quo lucratur vxor donata, monilia, & veſtes, intelligitur de non pretioſis.*

DOnationes, † quæ inter virum & vxorẽ fiunt, accedunt con- 1
ſiderationi nuptiarum, ſine quibus ſeorſum per ſe explicari nequeunt. Quocirca de illis pauca, quæ ex perſonarum, cõiugum ſcilicet qualitate, nobis perſonas coniunctas magis ac magis explicent.

¶In primis † autem tria tempora in iſtis perſonis perpenden- 2
da moneo, ante nuptias, matrimonii conſtantis, & ſoluti: tempus ante nuptias, ſi donationem admittat, quæ firmat vt & poſtea facta, *Vlp. l. ſi ſponſus, 5. de donat. int. vir. & vxor. in P. l. cum multæ, §. ſancimus, de donat. ante nupt. C.* ad donationes propter nuptias, vel inter ſponſos factas pertinet: vel ſi conſtante matrimonio factæ, ad dotis æqualitatem, vt remuneratoriæ, validæ erunt, *l. ſi conſtante. eo. C.* de quibus iam in ſponſalibus diximus. Tempus ſoluti iam matrimonii, aliam quoque conſiderationem quam viri & vxoris habere videtur, ſoluta tunc vxore a lege viri, vt ait D. Paul. 1. *Cor. 7.* Neque itaque tractatio de donationibus inter virum & vxorem, ad hæc duo tempora, ſed ad medium, quo cõſtat coniugium, pertinebit. ¶Proinde † de eo ſic conſtituamus axioma, donationes 3
inter virum & vxorem non poſſe ſubſiſtere, *l. 1. 2. 3. de donat. int. virum & vxor. lib. 24. tit. 1. l. quod ſponſæ, de donat. ante nup. lib. 5. C.* ſiue illæ directo, ſiue per interpoſitas perſonas fiant, *l. creditor. 20. de don. inter vir. & vxor. lib. 5. C. tit. 16. l. 3. §. non tantum, eo. in P. Vlpian. l. apud Celſum, 4. §. Iulianus, de dol. mal. except. lib. 44. P. tit. 4.*
¶Quod de † donatione inter viuos intelligimus: nam cauſſa mor- 4
tis inter illos non ſunt inhibitæ, ſi re ipſa ſcilicet traditione fiant, non ſola promiſſione, *l. Papinianus, 24. de donat. inter vir. & vxor. P.* etſi in voluntate perſeuerauerint vſque ad mortem, qua ratæ fiunt, & confirmantur, *l. 1. & 3. l. ex verbis, 14. & l. pen. eod. C. Vlp. l. ſi eum ſeruum, 10. §. fi. cum 2. ll. ſeq. eo. P.* moriente eo, qui donauit ante donatarium, vt etiam reuocatæ cenſentur præmoriente donatario ei, qui donauerat cauſſa mortis, *l. a marito, 18. eo. C. l. 1. de don. cau. mor. §. 1. de dona. P.* vel vna ambobus morientibus, *l. ſi inter virum, de reb. dub. in P.* ¶Item † ſecundo, illæ donationes inter con- 5
iuges inter viuos prohibitæ tantum cenſentur, per quas donatarius inuenitur factus locupletior: alioquin minuta illa, quæ donantur, & alia donata conſumta, cum reuocari oportet donationes, non reſtituuntur: niſi in quantum locupletior is factus fuerit, *Dioclet. & Maxim. in l. de his quæ, 17. de don. int. virum & vxor. C. Marc. l. ſi mulier, 6. Caius, l. quia quod, 7. Vlpia. l. quod autem, 8. cum ſuis §§. eod. in P. l. ſicut, eod. C. l. ex animo, cum 2. ſeq. eod. P.* Quocirca nec fructus rerum ita donatarum percepti & cõſumti reſtituuntur, ſi is qui dedit, non factus ſit pauperior, nec is qui accepit, ditior, *Alex. Imp. in l. ſi fructus, 8. C. de donat. int.* alias contrarium ſtatuendum eſſet, *l. 4. & l. ſi ſponſus, §. conceſſa, & §. ſi maritus. eod. in P.*

¶Hoc † autem receptum eſt, vt ait Vlpianus, 1. *eod. P.* donatio- 6
nes inter coniuges, inter viuos non valere, ne mutuo amore inuicem ſpoliarentur, donationibus non temperantes, ſed profuſa liberalitate erga ſe abutentes: nam vt eſt in antiqua parœmia, πρά-σου φύλλῳ τὸ ἐρώντων δέδεται βαλάντιον, id eſt, *porri folio ligantur marſupia amantium.* ¶Atque † ideo Antoninus *in l. 2. de dona. int. C.* do- 7
nationes in Focarias factas per milites, improbat: ne fictis adulationibus ſpolientur bonis. Quippe, vt ait Ouid. *de arte aman.*

*——inuenit artem*
*Fœmina, quæ cupidi captat amantis opes.*

Et Plautus *in Trucul.*

*Velut meretrix meum herum miſerum, ſua blanditia intulit*
*In pauperiem: priuauit bonis, luce, honore, atque amicis.*

Sic accommodate Luxuria apud eundem *Plaut. in prœm. Trimuni.* filiam ſe dixit habere inopiam. ¶Etſi † affectionis gratia in 8
alias, etiam meretrices valeant, *l. affectionis, & l. donationes, de donation. in P.* Et in pari turpitudine melior ſit poſſidentis cauſſa, vt idem Antoninus reſcripſit, *l. 2. de condit. ob tur. cauſ. lib. 4. C. titu. 7.* & aliis nomothetis placuit, *l. tranſactione finita, C. de tranſactio. l. ſi ſeruum, §. de illo, de verborum obligat. l. in pari cauſſa, de reg. iur. cum ſimi.* Valde itaque ſuſpecta habita ſunt delinimenta vxoria, vtpote

quæ ſæpe cogant parentes iudicium ferre contra proprium ſan-
guinem: neque eiſdem aſſentiendum putauit Caius, *l. 4. de inoffic.*
9 *teſta. P.* ¶ Nihil † furore amoris vehemẽtius, quem retinere tan-
tum eſt philoſophiæ perfecte monentis, infrænem & inhęrẽtem
concupiſcentiam frænantis, vt ait Iuſtin. §. *illud quoque, quib. mod.*
*nat. effic. legit. coll. 6.*

*Sic dum vrit amor, quis modus adſit amori?* Virg. Eclog. 2.

Et ſicut mulierẽ viri, ſic & virum vxoris, prouocare liberalitatem
facile blanditiis creditur, *l. fin. ſi quis aliq. teſt. proh. in P. l. fin. C. eo. tit.*
Quomodo enim arbitrabimur facultates denegaturos coniuges
mutuo, qui cupidinis illecebris peruicti propria concedunt mu-
tuo corpora? & extra matrimonii ſanctam caſtitatem, infelix cu-
piditatis certe captio, quę & propriam perſonam, pecuniis multo
cariorem, proſtituere ſæpe perſuadet, quæ res & auxilio & miſe-
ricordia idcirco digna habetur, *l. 1. de SC. Claud. C. §. fin. de ſucceſ.*
*ſubl. quæ fieb. per bon. vend.* Proinde iuſte prohibet iſtas liberalita-
tes lex, & ante obſepſit lubricas in paupertatem vias: ſatiuſque vi-
ſum ſic iuueniles coercere calores, ne cupiditati dediti triſtẽ exi-
tum ſentiant, *l. fi. §. filius autem, de bon. quæ lib. lib. 6. C. §. optimum, de*
10 *non elig. ſecun. nub. in Auth.* ¶ Neq; † enim inhibetur, vt inter ma-
leuolos, vel infeſtos donatio, ſed vt inter coniunctiſſimos: ne affe-
ctu nimio fiat alter pauperior, *l. ſi id quod, § ſi quis, & §. quod lega-*
11 *turus, de donat. int. vir. & vxor. P.* ¶ Reliqui † namque contractus,
pręter donationem ſine fraude prohibitionis initi, permittuntur
coniugibus, ex quibus pauperiores non redduntur, *l. ſi ſponſus, §.*
12 *circa, & l. ſi vir vxori, de don. inter vir. & vx.* ¶ Accedit † quod, vt
ait Sextus Cecilius, *l. 2. eod. P.* futurum eſſet d ſcuti matrimonia, ſi
qui donare poſſet, detrectaret coniugi: atque tandem venalia fore
matrimonia, nempe quia his donationibus, veluti pretio retine-
rentur: coactæq; eſſent metu diſſidii donationes aduerſum pro-
priam naturam: quæ liberalitatis & extra coactionem ſunt, *l. do-*
*nari, de reg. iur. l. 1. & l. donari, de donat. in P.* Neque enim in neceſ-
ſitatibus liberalitas conſtituitur, *l. 4. de adim. leg. P.* Minuſque li-
bera matrimonia, quam eorum exigit natura, eſſent, *l. 2. de inutil.*
*ſtipul. C. l. ſi ita ſtipulatio facta fuerit, & l. Titia, de verbor. obl. in P. c.*
*cum apud, & c. cum locum, de ſponſal.*

13 ¶ Atque † antiqui amorem honeſtum ſolis animis, ſine fæce
hac liberalitatis conſtare æſtimarunt, *Vlp. in l. 3. de don. inter vir. &*
*vxor. P.* amor etenim quidpiam ſpiritale, q i ſimoniam vel gra-
tiam promercalem non habet, vt notat Panorm. *in cap. quanto, de*
14 *iud.* ¶ Adiiciam † puellarum leue & facile ingenium, fraudibus
vel metu vel voluptate maritorum expoſitum, §. *quæſitum, de æ-*
*qual. dot. in Auth. Ariſtot. 9. de animal. in prin. l. cum multæ, de dona.*
*ante nupt. C.* & volubile,

*Vt corpus tenerum, ſic mens infirma puellis,*
*Fortius ingenium ſuſpicor eſſe viris.* Ouid. epiſt. Herus ad Leand.

Sic Tibullus *4. lib.* de Neæra loquens,

*Sed flecti poterit, mens eſt mutabilis illi.*

Et Virgilius *4. Æneid. & c. forus, de verb. ſign. l. fi. de inoff. teſta. C. c.*
*de viduis, in 2. 27. q. 2.*

*—— Varium & mutabile ſemper,*
*Fœmina.*

15 ¶ Ad † extremum, ſi hæ donationes ſimplices permitterentur,
arbitrati ſunt nomothetæ futurum, vt liberorum contemnere-
tur cura, *l. 2. de don. int. vir. & vx. in P.* aduerſum præſcriptum le-
gis, quo mandatur, vt quiſque ſuam ſobolem nutriat, *l. 2. de infan.*
16 *expoſ. C. tit. de alen. lib. & de lib. agnoſ.* ¶ Hinc † ſequitur, donationes
pari calculo eſſe improbatas, quæ ante matrimonium quidem fi-
ũnt, ſed quæ conferuntur, vt valeant eo ſecuto, *l. quod ſponſæ, de*
*don. ante nupt. C. cum ſimil.*

17 ¶ Demunt † tamen aliquos caſus interpretes, vſu & moribus
ratione aliqua receptos: veluti ſi maritus ſit plebeius diues, qui v-
xorem cui donat, accipiat nobilem: ſi ſenex & capularis, vxor ado-
leſcentula. *Nic. Boer. in conſuet. Bitur. tit. de conſuet. matri. & dotis,*
*§. 1. Fran. de Cur. conſ. 6. feu. inci. quod notabile, Bart. Bal. Iaſ. in l. ſi ita*
*ſtipulatus, § ſi tibi nupſero, & in l. diuortio, de ver. obl. in P.* Quia hæc
non videtur ſimplex, ſed remuneratoria donatio, ob alia, quam
ob matrimonii affectionem: & remunerationes aliã habent vim,
quam ſimplices donationes, valentque inter perſonas, a quibus
ſimplices reiiciuntur, *l. ſi pater, §. fin. & l. Attilius Regulus, de don. in*
*P.* Et in nobilem vxorem plebeius conferens donationem, non
tam eam vxorem munerare cenſetur, quantum ſibi affinitatem
proximorum eius comparare: cum principium affinitatis vxor
ſit, *l. 4. de grad. affinit.* In iuuene alia vtilitas quam matrimonii ſe-
ni accedit, nempe quod quodammodo iuueneſcat calore illius:
ſicut legimus conquiſitam Dauidi Abiſal, 3 *Reg. c. 1.* puellam pul-
cram Sunamitidem, vt cum eo dormiret, & calefaceret eum. A-
lioquin n. ſatis commode propter ſenectutem retineri matrim
nium non poteſt ſine largitione, quæ ideo expreſſe permittitur,
ne diuortium fiat, vt expreſſe notat Caius, *l. vel propter, iũcta l. præ-*
*ced. de donat. inter vir. & vxor. in P.* ¶ Valebunt † itaq; & donatio- 18
nes, quæ & donanti aliquam adferunt vtilitatem, quibus paupe-
rior fieri non videtur: veluti ſi ad dignitatem, *l. quod adipiſcendæ,*
*eo. P.* comparandam viro donet vxor, exprimaturque & dignitas,
& quantum donetur. Ex ea enim vxor conſequitur vtilitatem di-
gnitatis, cum radiis mariti refulgeat, §. *ſi. de conſul. in Authen. l. mu-*
*lieres, de dignit. lib. 11. C.* Compati etiam aduenientibus caſibus, &
infortuniis coniugis non eſt alienum a iure, *l. ſi cum dotem, 23. § ſi*
*maritus, ſol. matr. P.* & ideo in refectionem ædium exuſtarum v-
xoris aliquid elargiri permittitur, *l. quod ſi vir, de donatio. inter vir.*
*& vxor. in P.* Multa etiam vxori donata tenent, vt veſtimenta, *l. ſi*
*mulier ex pecunia, §. ſi. eo. l. mutus, § fin. de iur. dot. in P.* monilia, fru-
ctus alimentorum cauſſa, & huiuſmodi pleraque, quæ non iure
donationis ſolum, ſed ob officium maritale, quod ad ea tenetur,
vt ad onera, ſuſtinentur. ¶ Annotandum † tamen obiter moneo, 19
interdũ veſtes pretioſas & plures comparari a marito, quæ, ſi præ-
moriatur vir, vel ea præmoriatur viro, mariti heredibus, vel ipſi
ſuperſtiti reſtitui debent, quotidianis tantum vxori relictis, *Bart.*
*in l. penult. §. ſi quis vxori, ſol. matr. Ang. conſ. 101. Pau. Caſtren. conſi.*
184. *Bald. l. cum te, de donat. ante nupt. num. 3. & 4. Boer. late, in com-*
*ment. ad conſ. Bitur. in tit. de conſuet. matrim. & dot. Deciſ. cap. Thol.*
*336.* videlicet quando ſimpliciter conceſſæ ſunt pretioſę veſtes v-
xori, & pro vſu. Alioquin autem ſi eo animo vt perpetuo vxoris
eſſent, ſint datæ & traditæ, nec mortis tempore reuocatę, mulier,
& eius heredes eas retinent: ſicuti & quando ſeruo veſtimentum
datur, ea diſtinctione vtimur, *l. id veſtimentum, 26. de pecul. in P.*
Siquidem niſi exprimatur clare donatio vxoris cauſſa, comparata
ad vſum tantum, non donationis cauſſa cenſentur: & proinde ea
mortua, ſub mariti ſunt diſpoſitione, *l. ſi quid earum, 45. in prin. &*
*§. 1. de leg. 3. l. qui concubinam, 29. de legat. 1.* Vt non inutile legatum
earum ſit factum vxori, *l. hoc legatum, 41. de legat. 3.* quod nullum
alioquin eſſet, ſi res quæ eius eſſet, iam eidem legaretur, *l. proprias*
*res, C. de lega.* Semel enim meum, amplius fieri nequit meum, § *ſic*
*itaq; diſcretis, de action. l. nemo rem ſuam, de verborum obligat.* cum
dominium, non niſi ex vna cauſſa ad nos pertinere poſſit, etſi in
poſſeſſione diuerſum ſtatuatur, *l. 3. §. ex pluribus, de acquir. poſſeſ.*
*P. c. inter dilectos, de fide inſtrum.* Vt præſumatur tantum, conceſ-
ſio huiuſmodi facta vxori, vſus, non donatio, iuris vrgentiſſima
præſumtione: qua neminem ſuum iactare voluiſſe colligitur, *leg.*
*cum de indebito §. 1. de probat. in P.* idem cum ſit donare ac perde-
re, *l. ſi filius familias, de donat. in P.* ¶ Hæc † eadem & de torquibus, 20
armillis, bullis, aliiſque monilibus, quæ vxori ornamenti cauſſa
conceduntur, dicenda cenſeo, obſeruata eadem diſtinctione: niſi
municipalis lex, vel conuentio in matrimonii præludiis, vel in
tractatione aduerſetur. ¶ Dummodo † & illud ſingulare Barto. *in* 21
*l. quamuis, de aur. & argen. legat.* notetur: ſtatutum municipale vel
mores, quibus lucro huiuſmodi eſſe dicuntur vxoribus, non eſſe
intelligenda de pretioſis, ſed de vulgaribus monilibus & veſtibus:
quod quamuis ſubobſcure notat Bartolus, tamen Nicolaus Boe-
rius ſecundum eam ſententiam iudicatum fuiſſe ſcribit, *Nicol.*
*Boer. ad conſuet. Bitur. tit. de conſuet. matrim. & dot. §. 4.* Quæ æqui-
tatem eam habere mihi videtur, quia municipalia ſtatuta, quoad
fieri poteſt, iuri cõmuni ſint cõcilianda, & quia quæ iuris ſingula-
ris non trahantur facile ad conſequentiam, *Paul. l. quod vero con-*
*tra, 13. de legib. libr. 1. P. titulo tertio.* vtque ſtricti iuris non proro-
gentur ad ſimilia, *l. quicquid adſtringendæ, de verborum oblig.*

## De ſecundis nuptiis. Cap. 26.

Lib. 5 C. tit 9. Lib. Decret. 4. tit. vlt.

1 *Nuptiæ ſecundæ non ſunt improbæ.*
*Tertullianus male ſecundas reprobat nuptias.*
2 *Nuptiæ ſecundæ cur non benedicantur.*
3 *Nuptiæ ſecundæ & plures, repetitæ dicuntur.*
4 *Nuptiarum primarum, & repetitarum differentiæ.*
*Nuptiæ ſecundæ quamuis permiſſæ, vere tamen fornicatio-*
*nes.*
5 *Nuptiæ ſecundæ intemperatæ habitæ Ethnicis.*
6 *Nubebant viduæ publicis feſtis, non virgines quare.*
7 *Nuptiæ repetitæ Moſcouitis permiſſæ, ſed vix habitæ legitimæ:*

tertiæ

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tertias ſine cauſſa non permittunt: quartas a Chriſtiano alienas putant.

8 Nuptiæ repetitæ quando & quomodo, & num ſemper permiſſæ in Orientali eccleſia: & repetentium pœna.

9 Nuptiæ primæ benedicuntur, non ſecundæ.

10 Vxor ſacerdotis Iudæorum & Ethnicorum eſſe nequibat vidua: nuptias ſacerdos non repetebat.

11 Bigamus, & qui viduam duxit, non poteſt promoueri ad ſacros ordines.

12 Relictum, ſi nõ nupſerit, viduæ prohibet nuptias, in virgine valet, ſpreta etiam conditione.

13 Mater ad ſecundas tranſiens nuptias, non reuocat donationes filiis factas propter ingratitudinem, paucis exceptis cauſſis.

14 Pecuniæ piæ debitæ maritãdis pauperibus, non debentur pro maritandis viduis, ſed pro primo nubentibus.

15 Contributio taleæ, quæ debetur pro maritandis filiabus, debetur tantum pro filiabus in primo, non in ſecundo matrimonio.

16 Bigamus non vtitur priuilegio clerici.

17 Secundæ nuptiæ punitæ, non primæ, ſi intra annum luctus fiant.

18 Annus luctus olim 10. nunc 12. menſium.

19 Nuptiæ repetitæ intra annum luctus, ſuſpicionem habent ſiniſtram.

20 Nubens ante annum luctus, ſacrificabat vaccam prægnantem.

21 Vir non tenetur lugere vxorem.

22 Partus num edi poſſit 10.11. & 13 menſe.

13 Repetendarum nuptiarum ſpatium & luctus, eiuſdem rationes.

24 Pœnæ nubentium intra annum luctus iure ciuili impoſitæ, iure pontificio quare ſublatæ.

25 Mulier etiam prægnans coitum deſiderat.

26 Num pœnæ nubentis ſecũdo ſublatæ cenſeantur ei, quæ intra annum nubit.

27 Miſcella lex de viduitate remiſſa.

28 Pœnæ ſecundo nubentium fauore liberorum, quo ad lucra approbatæ.

29 Nouercæ ſuperinducta liberis, malum.

30 Nouercam ſuperinducens liberis, conſilio patriæ lege Charundæ arcebatur.

31 Nouerca vnde dicta.

32 Nouerca Agrippinæ Claudii Cæſaris vxoris in vitricos crudelitas, vt ſuis faueret.

33 Nouercalia delinimenta infatuant parentes contra liberos proprios.

34 Nouercale odium, pro maiori.

35 Fœminæ ſecundo nubentes contemnunt bona & vitam liberorum prioris matrimonii, amore ſecundi mariti.

36 Septitiæ Trachalorum matris nuptiæ ſecundæ, & eius teſtamentum, ob contemtos priores liberos, improbata.

37 Nuptiarum quoque repetitarum iniuria ad maritũ præmortuum pertinet.

Morgin cap. Phadrrſium. Mundium.

38 Nubens ſecundo, habens ex primo filios, amittit proprietatem lucrorum, quæ habuit a priore marito, quocunque titulo.

39 Nubens ſecundo, nec lucra prioris coniugii diſtribuere poteſt inter liberos prioris matrimonii ſuo arbitrio, vel electione: quod & in viro repetente matrimonium locum habet.

40 Ingrati filii amittunt lucra prioris matrimonii.

41 Viduæ, quæ nuptias non repetunt, non procul a virginitate ponuntur.

42 Viduus vel vidua, ſi non repetant nuptias, partiuntur pro virili cum filiis illius matrimonii, dotis ſeu donationis propter nuptias ſeu augmenti lucra in proprietate, & de lucris aliis libere diſponunt.

43 Pater mater ve tranſeuntes ad ſecundas nuptias filiis decedentibus prioris matrimonii, quomodo cum filiis ſeu aliis fratribus ſuccedunt in vſufructu vel proprietate.

44 Mater non petito tutore filio pupillo, conuolans ad ſecundas nuptias, aut non reddita ratione tutelæ, ei non ſuccedit.

45 Lucra prioris matrimonii inſtituto generaliter herede extraneo a parente, cenſentur reſeruata liberis prioris matrimonii.

46 Lucra quæ pater aut mater conſequũtur ex morte filiorum prioris matrimonii, decedentium ab inteſtato, tenentur reſeruare morientes aliis filiis eiuſdem matrimonii, non autem ſi illis ex teſtamento ſucceſſerunt.

47 Bona quæ coniunx trãſiens ad ſecundas nuptias habet per ſucceſſionem inteſtati, a filio mortuo prioris matrimonii quæſita per illum aliunde, quam ex præmortuo coniuge, ſunt in illius libera diſpoſitione, ſecus ſi veniant a præmortuo coniuge.

48 Infamis aliquando facta, quæ tranſiret ad ſecundas nuptias, ſi haberet liberos.

49 Nuptiæ repetitæ non priuãt dote ſua mulierem, nec virum donatione propter nuptias, quam vxori mortuæ dederat: ſed ſibi, non liberis prioris matrimonii conſeruat.

50 Donationes quoque reciprocæ coniugum non reſeruantur prioris matrimonii filiis, nec remuneratoriæ.

51 Pœna in bonis propriis tranſeuntium ad ſecũdas nuptias, ne poſſint ex his relinquere vxori, vel marito, vel vitrico, plus quam vni ex liberis prioris matrimonii reliquerint.

52 Mater pater ve repetentes nuptias, libere poſſunt in bonis propriis aliquem, vel aliquos liberos primi, ſecundi, vel tertii matrimonii inſtituere, relicta aliis ſingulis legitima & lucris ſuarum nuptiarum.

53 Coniunx qui deceſſit, & donauit vel legauit ſuperſtiti, poteſt cauere valide, ne donata ſubiiciantur legibus reſeruationis liberis prioris matrimonii, etiam ſi ſuperſtes nubat, & poteſt permittere nuptias.

54 Filii prioris matrimonii conſentientes ſecundis parentum nuptiis, non vtuntur poſtea priuilegio reſeruationis ſuperioris.

55 An remitti poſſit pœna impoſita nubentibus intra annum luctus.

56 Remitti non poſſunt pœnæ l. hac edictali, de ſec. nup. C.

57 Dos lucrata a marito ex ſtatuto, vel incrementum ſeu augmentum lucratum ab vxore, illis tranſeuntibus ad vlterius matrimonium, reſeruatur filiis ſolis illius matrimonii, vnde lucratũ, poſt mortem parentum.

NVptias † ſecundas deteſtandas non eſſe vt improbas & pro- 1
hibitas, eccleſia docet catholica, *can. aperiant, can. Deus maſculum, c. quod ſi dormierit,* 31. *q.* 1. reiicitque in eo Tertulliani ſententiam, qui eas vt ſtuprum deteſtatur, *Tertul. lib. exhortationis ad caſtita. & lib. de monogamia.* ¶Permittit † enim eas Deus, *c. hac ra-* 2
*tione,* 31. *quæſt.* 1. *c. virginibus, eod. c. pen. & fi. de ſecun. nupt.* 1. *carni.* 7. & melius eſſe nubere quam vri tradit, etſi melius ſit viduum caſtum permanere, quam nubere & non vri. Nec quia non benedicuntur ſecundæ vel vlteriores poſt primas, *ca.* 1. *& c. vir autem, de ſec. nupt.* ideo impiæ ſunt: nam ſemel benedictæ cum ſint, videtur benedictio durare. ¶Nuptiarum † ſecundarum appellatio repe- 3
tit tantum, non immutat ſubſtantiam matrimonii: ſecundæ dictæ ratione proxime deficientis matrimonii, etſi plures repetitæ ſint, *gl. in rub. de ſec. nupt. C.* Et ideo omnia quæ antea explicata ſunt de ſponſalibus, & primis nuptiis, dote & aliis, ſecundis conueniunt: exceptis quibuſdam ritibus & priuilegiis, quæ ſpeciali calculo ſignabuntur.

¶Intereſt namque primum inter primas vnicaſque, & repeti-
tas nuptias: quod primæ ſeu melius vnicæ nuptiæ cõmendentur, 4
& laudentur: repetitæ etſi permiſſæ, ſecundum veram rationem, vere fornicationes ſunt, vt ait D. Chryſoſtomus, *can. hac ratione, cum* 2. *ſeq.* 31. *quæſt.* 1. & ad remedium incontinentiæ conceſſæ. Quod pluribus rationibus docet D. Hieronymus *conc. Iouin. lib.* 1. Et tutius viſum eſt nubere in domino vni ſoli, quam inhoneſte multos admittere, *c.* 1. *de iis qui fil. occid. c. veniens, qui cler. vel vouent. can. quomodo virginibus,* 31 *quæſt.* 1. ¶Valerius † Maximus *lib.* 5
2. *c.* 1. *dum de nup. agit.* ſcribit, eas quæ vno contentæ matrimonio fuerant, corona pudicitię honoratas apud Romanos: quod exiſtimarent eum præcipuæ matronæ, ſyncera fide incorruptum eſſe animum, qui poſt depoſitæ virginitatis cubile, in publicum egredi neſciret: multorum matrimoniorum experientiam, quaſi legitimæ cuiuſdam intemperantiæ ſignum eſſe credentes. ¶Et † Plu- 6
tarchus *problem.* 99. *Quid eſt,* inquit, *quod publicis feſtis, veteri more: virgines non nubunt, viduæ nubunt? an quod virginibus decorum, viduis vero multis præſentibus fœdum nubere? felices namque ac fauſtæ primæ nuptiæ, ſecundæ vero triſtes ac deteſtandæ. Pudet enim viuis adhuc eis, quibus antea nupſerant, alios accipere, mortuos autem lugent. Quo fit, vt magis quiete, quam ſtrepitu & deducentium multitudine delectentur. Dies vero feſti adeo multitudinem diſtrahunt, vt his rebus per otium intereſſe non poſſit.*

¶Moſcouitæ † ſeu Rutheni concedunt quidem ſecundũ ma- 7
trimonium, ſed vix legitimum putant: tertiam vxorem ducere ſine graui cauſſa non permittũt: quartam nec cõcedunt, nec Chriſtianum ducunt. Atque in canonibus cuiuſdam Ioannis Metropolitæ Moſcouitæ ſcriptum habent, vt ſacerdos ſi ſciẽs tertio matrimonium expetentem coniunxerit, officio priuetur, vt narrat

8 Sigiſmund. Liber Baro *in comment. rer. Moſcou.* ¶Quod † mutua-
tum eſt ab orientali eccleſiaſtica diſciplina, cuius fidem ample-
ctuntur. Nam in canonibus Nicephori confeſſoris ſic ſtatuitur,
*lib. 2. iur. oriental. Bigamus non coronatur, ſed in eo punietur, vt an-
nis duobus, ſacra non participet myſteria: Trigamus annis quinque e-
mendetur, & ſic admittatur.* Nicetas etiā Metropolitanus ad Con-
ſtantinum Epiſcopum ſcribit, *lib. 3. iur. oriental.* Bigamum annum
a ſacrorum myſterio abſtinere debere, neque eum, qui preces ſu-
per eos concepit, cum illis cibum ſumere debere. Meminit Con-
ſtantinus Harmenopulus *lib. 4.* Synodicæ deciſionis habitæ ſub
Conſtantino Porphyrogeneta, & ſocero eius Romano, ab iiſdem
principibus ſubſcriptę, qua permittebatur quadragenariis, ſi nul-
los ex ſecundis nuptiis ſuſcepiſſent liberos, ad tertias peruenire
ad prolem habendam: iis autem qui trigeſimum annum haberēt
pariter, etſi ex ſecundis ſuſtuliſſent liberos, ob infirmitatem æta-
tis. Verum tam iis, quam illis, cum eccleſiaſticis pœnis (de quibus
*in cap. de iis, cum ſeq. 31. q. 1.*) quartas omnino nuptias improbabat,
& nullas dixit. Inſeritur & nouella Porphyrogenetæ in iure ori-
entali, lib. 2. ti. περὶ πολυγάμων, quæ in ſuggeſtu ſingulis annis Con-
ſtantinopoli legitur, qua prohibitum ſe quarto iungere matri-
monio: alioquin imminente pœna ademtionis ſacræ commu-
nionis, & expulſionis a ſacris & eccleſia. Pari modo de tertio ſta-
tutum, eſſe illud humanæ infirmitatis, ſed non honeſtatis Chri-
ſtianæ, libidinis perturbatione vincente. Proindeque inibi ſtatui-
tur, vt qui tertio nupſerit, ad quinquennium non ſit ſacræ com-
munionis particeps, neve hoc tempus illi contrahatur, & poſtea
non ei permittatur, niſi in ſola Dominica Domini reſurrectione,
ieiuniis antea expletis: atque ita tantum permittit matrimonium
poſt quadrageſimum annum, vt retulit Harmenopulus, ſi liberos
quis ex prioribus non habuiſſet. Ita in concilio Neocæſarienſi, *c.
1. de iis qui frequenter, 31. quæſt. 1.* pœnitentia ſæpe nubentibus in-
9 iungitur, prohibeturve ne presbyteri interueniant. ¶Hinc † ſe-
cundo, iura ſtatuunt, ſecūdas vel repetitas nuptias ineuntes, non
benedici a ſacerdote, cum primæ benedicantur, *c. 1 & cap. vir au-
tem, vel mulier, de ſecund. nupt. lib. 4. Decret. tit. 21. cap. fin. 23. diſt.* Et
Diuus Ambroſius *tom. 4. ſuper c. 3. prior. epiſt. ad Tim. homini vnam
vxorem decreuit Deus, cum qua benedicatur: nemo enim cum ſecun-
da benedicatur.* Quod & apud Romanos religioſum fuiſſe monet
Plutarchus *in problem.* dum ait, *Eodem tempore vxor cum viro con-
ſecratur, quemadmodum multa ſunt in ſacris, quæ abſente viro, agi
10 nequeunt. ¶Priore † autem amiſſa, alteram ſtatim ſuperducere, tum
difficile eſt, tum vero iniquum & impium: quare & mortua vxore,
flamen Dialis ſe ſacerdotio abdicabat.* In quo ſimiam & mimos e-
gerunt veræ religionis veri Dei, in qua ſtatutum erat de ſacerdo-
te, *Leuit. c. 21 Virginem ducet vxorem, viduam autem, & repudia-
tam, & ſordidam atq; meretricem non accipiet, ſed puellam de popu-
lo ſuo, ne commiſceat ſtirpem generis ſui,* vulgo *gentis ſuæ, quia ego
11 dominus qui ſanctifico eum.* ¶Quo † factum etiam, poſtquam re-
ceptum eſt in eccleſia occidentali & Catholica ſine vxore eſſe de-
bere, quemadmodum docuimus in impedimentis, eum qui ad
tractanda Dei myſteria promouetur, vt bigamus, qui duas habuit
vxores, vel qui viduam duxerit, non poſſit ordinari, iure ciuili &
pontificio, *c. acutius, c. deinde, c. vna tantum, & c. final. 26. diſtinct.
cap. 1. 2. 3. & fin. de biga. lib. 1. Decretal. tit. 18. § 1. verſic. & neq; vxori,
quomodo oport. epiſc. & cet. cler. ad ordin. perdu. in Auth. collat. 1. tit.
6. §. ſed & ſi quis inter, & c. de nupt. coll. 4.* Sic oportet Epiſcopum v-
nius vxoris eſſe virum, vt ait Diuus Paulus, 1. *ad Timoth. 3. c. 1. 26.
diſtinct.* id eſt, quod non promoueatur bigamus: non autem quod
neceſſarium habere illum vxorem, ſed negatiue intelligendum
12 illud. ¶Proinde † tertio, fauorabiliores in capiendis legatis ſunt
primæ, quam ſecundæ nuptiæ: ſi quidem legatum in dicta condi-
tione, *ſi non nupſerit*, relictum virgini, quæ nondum virum exper-
ta eſt, eadem remiſſa quanquam nupſerit, debetur: in vidua diuer-
ſum, *Papin. l. cum tali, 71. §. Mæuiæ, de condit. & demonſt. lib. 35. P.
tit. 11. iuncta gl. & l. 1. 2. & Auth. cui relictum, de ind. viduit. toll. lib. 6.
13 C. tit. 40.* ¶Nec † mater, quæ ad ſecundas tranſiuit nuptias, pro-
pter ingratitudinem reuocare poteſt donationes prioris matri-
monii liberis factas, exemplo eius quę inhoneſte vidua viuit: cum
tamen ea, quæ vidua ab vnico matrimonio, poſſit, *l. his ſolis, 7. C. de
reuoc. don. li. 8. tit. 56.* Exceptis tribus capitalibus ingratitudinibus,
de quibus nouella Iuſtiniani cautum eſt, *§. mater tamen, de nupt. in
Auth. coll. 4. tit. 1. Auth. quod mater, de reuoc. donat. C.* ſi filius matris
vitæ inſidietur, vel manus impias ei intulerit, vel iacturam eidem
14 vniuerſi patrimonii fuerit molitus. ¶Accedit, † quod bona quæ
relinquuntur pro pauperibus mulieribus dotandis & maritādis,
non poſſunt diſtribui in dotem viduarum, quæ nubere volunt,
quantumcunq; pauperes ſint, vt ait Bald. & Guil. Bened. *in c. Ray-
nutius ad verba qui cum alia, num. 79. 3. par.* quia appellatio matri-
monii ad nuptias primas refertur, *l. bona fidei §. hoc ſermone de ver.
ſig.* ¶Neq; † ſubditi clientes, qui pro maritādis filiabus virginibus 15
domini ſeu patroni tenentur pecuniam conferre, pro vidua filia
iterante matrimonium tenentur, vt notat Guid. Papæ. *q. 57. in fin.*
¶Si † quis etiam verberauerit clericum vnius vxoris virum, inci- 16
dit ipſo iure in ſententiam excommunicationis canonis fauore
cleri editi, non autem ſi bigamum, *c. ſi quis ſuadente diabolo, 17. q. 4.
c. vni. de cler. coniug. lib. 3. ſexti Decret. tit. 3.*

¶Quarto † differre videtur nuptiæ repetitæ a prioribus, quod 17
ſecundæ puniantur, vt exoſę a iure ciuili: duobus maxime caſibus,
quando intra annum luctus fiunt, vt nimiū acceleratæ, vel quan-
do liberi ex præcedente ſunt matrimonio: vt non nuptiæ, ſed prę-
cipitatio & liberorum iniuria damnari videatur. Itaq; ſex pœnas
iure Codicis Iuſtin. *l. 1. & 2. de ſec. nupt. lib. 5. C. tit. 9.* anticipans an-
num luctus incurrit, ex conſtitutione Gratiani, & Valentiniani, &
Theodoſii C C C. 1. vt ſit infamis: 2. vltra tertiam partē bonorum
ſuorum in dotem dare non poſſit ſecundo viro: 3. neque ei vltra
eādem tertiam partem relinquere poſſit: 4. vt ſit omnium ſupre-
marum voluntatum, legatorum, & mortis cauſſa relictorum ex-
pers: 5. vt relicta a ſuprema voluntate prioris mariti amittat: 6. vt
hereditates legitimas ſeu ab inteſtato ciuili vel honorario iure
delatas, non poſſit vltra tertium gradū vindicare. Hæc placuerant
partim *l. 1. de iis qui no. inf. lib. 3. P. tit. 2.* quoq; Iuriſprudētiæ aucto-
ribus, quibus ſanctum viſum eſt vxorem per annum virum, cuius
memoria damnata non ſit, elugere debere, *Pau. l. ſolet, 10. & Vlp. l.
liberorum, 11. §. 1. eo.* ¶Annum † olim decem menſium conſtituen- 18
tes, poſteā expletum 12. *l. 2. C. de ſec. nup.* Sic Ouid. *lib. 1. Faſt.*

*Tempora digereret cum conditor vrbis in anno,*
*Conſtituit menſes quinq; bis eſſe ſuo.*
*Scilicet arma magis, quam ſydera, Romule, noras.*
*Curaq; finitimos vincere maior erat.*
*Eſt tamen & ratio, Cæſar, quæ mouerit illum,*
*Erroremq; ſuum, quo tueatur, habet.*
*Quod ſatis eſt vtero matris dum prodeat infans,*
*Hoc anno ſtatuit temporis eſſe ſatis.*
*Per totidem menſes a funere coniugis vxor*
*Suſtinet in vidua triſtia ſigna domo.*

Et rurſum idem *Ouid. in 3. Faſtor.*

*Annus erat, decimum cum Luna receperat orbem,*
*Hic numerus magno tunc in honore fuit.*
*Seu quia tot digiti, per quos numerare ſolemus,*
*Seu quia bis quino fœmina menſe parit.*

Et paulo poſt,

*Aſſuetos igitur numeros ſeruauit in anno:*
*Hoc luget ſpatio fœmina mœſta virum.*

¶Suſpicantur † iura aliquid ſiniſtri contra vxorem, quæ hoc 19
tempus non exſpectauerit, veluti quæ iam viuente marito cogi-
tauerit de violanda pudicitia, elegeritq; virum ſecundum, quem
priore contemto haberet, *Iuſtinian. §. alterum, de reſtitu. & ea quæ
par. in 11. men. nouell. 39.* Vnde etſi prolis natæ conſideratio nulla
ſit, intempeſtiuas tamen cohibent iura nuptias infamia, *§. nam ſi
nulla, & §. ſi vero rationabiliter, & §. & ſimiliter per culpam, & §. ſi i-
gitur ex prioribus, in Nouell. 22. §. primæ ſi quidem nuptiæ, de nupt.
collation. 4. in Authent.* Perſuaſum habeo hoc anni ſpatium luctus
habuiſſe prohibitionem & pœnam infamiæ, potiſſimum ratione
prolis, quæ poſſet eſſe concepta ex commixtione prioris matri-
monii. Siquidem ex lege Gordiani, *l. decreto, 15. ex quibus cauſ. in-
fam. irrog. lib. 2. C. tit. 12.* triſtior atratuſque habitus remiſſam ha-
buit infamiam in luctu, verum acceleratio nuptiarum eandem
retinuit, inuſtaque labes perpetuo edicto pudori non ſolum nu-
benti intra id tempus, ſed ei qui eandem ſciens prudenſque du-
xiſſet. ¶Suadet † & ſacrificium indictum ſecundo nubentibus in- 20
tra ea tempora a Numa Pompilio, *Plutarch. in Numa.* vt quæ-
cunque ante decem menſes a viri morte nupſiſſet, vaccam præ-
gnantem immolaret. ¶In † remiſſa luctus neceſſitate, æqualis fa- 21
cta eſt vxor viri priuilegio, qui infamis non eſt, ſi vxorem non e-
lugeat, *l. vxores, 9. de iis qui not. infa. lib. 3. P. tit. 2.* at remanſit pro-
lis miſcendæ periculum, quod cum natura ipſa immineat, nulla
iuris fictione potuit honeſte vel legitime obliterari.

¶Aulus † Gellius *lib. 3. cap. 16.* fuſe diſputat ex Plauti Ciſtella- 22
ria, Menandro, Cæcilio, M. Varrone, Ariſtot. *lib. 7. de hiſt. ani. c. 4.*
Hom. & vſu obſeruato, conſtitutioneq; Adriani Cæſaris, partum
poſſe

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

poſſe edi in decimo & vndecimo menſe a coitu. Sed & mirum
quod ex Plinio refert, *libr.7.cap.5.* creditum fuiſſe & decimoter-
tio menſe poſſe: citaturque Maſurius auctor, qui ſcripſerit L. Pa-
pyrium prætorem, ſecundo herede lege agente, bonorum poſ-
ſeſſionem cõtra eum dediſſe, cum mater partum tredecim men-
ſibus tuliſſe ſe diceret, quoniam nullum certum tempus pariendi
ſtatutum ei videretur. Macrobius etiam, *lib.1.Saturn.cap.8.* dum
ſoluit quæſtionem cur in compedibus vinciretur. Saturnus Ro-
mæ in templo, refert Appollodorum dixiſſe, Saturnum alligati
per annum laneo vinculo, & ſolui ad diem ſibi feſtum, id eſt, men-
ſe Decembri. Significare autem ſemen decimo menſe in vtero a-
nimatum, in vitam grandeſcere, quod donec erumpat in lucem,
mollibus naturæ vinculis detinetur. Iuſtinianus tamen, *Nouel.39.*
*§.fin.de reſtit.dot.& ea quæ par.in 11.menſ.* hunc partum poſt vnde-
cimum menſem a morte mariti editum, non exiſtimat legitimũ,
ſed aliunde quam a marito ſuſceptum: & eam quæ ita peperit,
ſubiicit pœnis nubentis intra annum luctus. Narrat & Suidas, *in*
*Demarato.* cum Demarati natiuitas fuiſſet denuntiata Ariſtoni pa-
tri, Ariſtonem ſubducta ratione, quod a nuptiis nondum elapſi
eſſent decem menſes, negaſſe hunc ſuum eſſe filium, atque vt no-
tum abdicaſſe. Verum hic inter viuos coniuges potuit cõiunctio-
23 nis anticipatæ haberi certior obſeruatio. ¶ Quare † cum intra
hæc tempora anni a morte mariti, partus conceptus naſci poſſit,
per id tempus abſtinendum prætor cenſuit, a nuptiis, & ad tem-
pus, quo ſolet lugeri, ſe retulit propter turbationem ſanguinis, vt
notat Vlpianus, *l.liberorum,11.§.1.de iis qui not.infam.* Probatque
ſententiam Pomponii eam, cui lugendi ſolemnitas remiſſa eſt,
quæve intra legitimum tempus partum ediderit, poſſe ſe ſtatim
nuptiis collocare, non aliter. Sic enim familiæ diuerſorum mari-
torum, & bona iniuſte, reique publicę damno, *l.ſuper ſtatu,de quæ-*
*ſtio.C.1.§ quamuis,de ven.inſpic.in P.* commiſcerentur, & ſecundo
marito conceptus ab alio ſuccederet, & natus ſub altero marito
vt eius filius habitus, patris hereditate priuaretur: quod certe val-
de iniquum eſt. Atque hæ pœnæ reſpiciunt maxime fauorem li-
berorum nondum natorum, non nuptiarum contemtum vel im-
probationem.

24 ¶ Remiſſæ † tamen hodie iure pontificio, permiſſæque nuptię
intra illud lugendi tempus, *c.pen.& fin.de ſec.nupt.& ibi interpres 1.*
*ad Corinth.7 gl.fin.in l.1.de ſec.nupt.* ad euitandam delinquendi oc-
caſionem: ſatius enim viſum eſt permittere acceleratas nuptias,
quibus homo, nempe liberi nondum nati & familia commixta
offenduntur, quam peccari in Deum.

25 ¶ Deſiderat † namque coitum mulier, etiam quæ concepit. Sic
enim Ariſtoteles admonet, *libr.4. de generat.animal.cap.5.* ſolam
animalium mulierem, & equam grauidam, coitum pati. *Homo*
*enim*, inquit, *ſua natura perfœcundum animal eſt: aliquid etiam in*
*vtero tum ſpatii, tum excrementi ſupereſt, quanquam non tantum,*
*vt vel alterum poſſit alere: mulier itaque ob eam cauſſam coitum re-*
26 *cipit.* ¶ Quanquam † non me latet Odofredum, *in l.1.C.de ſecund.*
*nupt.* & alios, *gloſſ.in l.decreto,in verbo contrahere, ex quib. cauſ. in-*
*fam.irrog.C.* exiſtimaſſe, pœnas has nec iure canonico eſſe corre-
ctas in nubentibus intra annum luctus, & ita obſeruari in Italia:
neque ideo minus verum eſſe & legitimum matrimonium, quia
non matrimonium per iura, ſed acceleratio puniatur: Sed & illis
accederet, quod ex cauſſa etiam matrimonium contractum ſu-
ſpendi poſſit in concubitu, veluti donec a menſtruis purgata ſit
vxor, & recens editus partus ablactetur, *cap. ad eius vero concubi-*
*tum,5.diſtinct.* Cui ſententiæ lubens ſubſcriberem, niſi me remo-
raretur delinquendi occaſio, cui via aperiretur, ſi mulieres conti-
nere non valentes, metu ne amitterent hæc lucra, & metu pœna-
rum, ad tacitam & ſecretam pollutionem & ſcortationem decli-
narent, *Pan.in cap fin.num.3.de ſec.nupt.* Qua ratione arbitror me-
27 lius reipubl. conſultum iri, ſi remittantur. ¶ Vterque † hac in re
contra Iuſtinianum reſcripto eiuſdem & ſanctione, *Iuſtin.l.2.de*
*indic.vid.toll.lib.6.C.tit.40.* per quam licet, ſublata lege Iulia Mi-
ſcella, mulieribus viduis, etiam maritorum ſuorum intermina-
tione ſpreta, quæ viduitatem eis indicit, & non dato ſacramento
ad ſecundas migrare nuptias: & nihilominus ea percipere, quæ
maritus dereliquit, pœna ceſſante, ſiue habeat liberos, ſiue non
habeat. *Augeri enim*, inquit, *magis noſtram rempublicam, & multis*
*hominibus legitime progenitis frequentari, quam impiis periuriis af-*
28 *fici volumus.* ¶ Ceterum † aliæ ſunt pœnæ ſecundo nubentibus
impoſitæ, nec in odium quidem nuptiarum, ſed ad vtilitatem li-
berorum iam ex prioribus nuptiis ſuſceptorum, & vt proſpiciant
leges, ne iniuria eis ſecundis nuptiis inferatur: quæ certe nullo
modo ſublatę ſunt, pertractatæ *in l.fœminæ, & ſequentibus legibus,*
*de ſecund.nupt.C.* Idcirco hæ pœnæ communes ſunt, tum mulie-
ribus, tum viris ſecundo nubentibus, *l.generaliter,5.de ſecun.nup.*
*C.* vterque enim irrogare damnum liberis ſecundo matrimonio
videtur.

¶ Nam † quod ad virum pertinet, qui nouercam ſuperinducit 29
filiis, quantum noceat vulgo cognitum eſt, & ex probis auctori-
bus conſtat: vt Menander abſolute dixit, *in ſentent. comico. Græ-*
*cor.cap.24.*

*Δεινότερον ἄλλον μητρυιῆς κακὸν,*
*Nullum maius malum nouerca.*

¶ Sibaritis † tulit legem Carundas, vt qui liberis nouercam ſu- 30
perinduxiſſet, a conſilio ſenatus & patriæ ſubmoueretur: nunquã
ab eo exiſtimans patriam recta ac ſalubria conſilia ſperare poſſe,
qui liberis olim propriis male conſuluiſſet, *Diodor. Sic.lib.12.Bi-*
*blioth.* ¶ Dixerunt † antiquiorum quidam nouercam, quaſi nouam 31
arcam dici, *gloſ.in §.ſocerum, de nupt.* Melius tamen meo iudicio,
quaſi *νέα ἀρχὴ*, noua vel recens princeps: ea enim in domum tra-
ducta mariti, prioris matrimonii liberis nititur abrogare impe-
riũ, vt ſibi & ſuis arroget: ſtatim inſtituens bellum & odium irre-
conciliabile in eos, quos ſuis impedimento eſſe arbitratur.

¶ Vt † Agrippina a Claudio Cæſare ſuperinducta liberis ſtre 32
nue protinus dedit operam, vt ſuus filius Domitius Nero a Cæ-
ſare adoptaretur, & id conſequuta ei imperium parens, ſtatim e
conſpectu patris ſubduxit Germanicum e prima vxore natum, at-
que verita, ne contra, quam moliretur, accideret, immedicabile
venenum marito, Locuſtæ veneficæ ope, in boleto porrexit, *Dion*
*Caſſius,lib.60.* Dehinc & Germanicum, & eius ſorores interfecit,
abſcondito mariti teſtamento, *Xiphilin.in Nerone.* ¶ Et † ſæpe no- 33
uercalibus delinimentis infatuati mariti, coguntur iudicium fer-
re contra proprium ſanguinem, & filios exheredare, *l.4.de inoffic.*
*teſtamen.in P.* Euripides *in Alceſte.* illud ipſum inſigniter expri-
mit,

*Ἐχθρὰ γὰρ ἡ πιοῦσα μητρυιὰ τέκνοις*
*Τοῖς πρόσθ', ἐχίδνης οὐδὲν ἠπιωτέρα,* id eſt,
*Inimica enim eſt ſubiens nouerca liberos*
*Priores, vipera nihilo mitior.*

¶ Abiit † in prouerbium, pro truci inimicitia, nouercale odiũ: 34
& apud Cornelium Tacitum, *in 1.* nouercales manus. Et pro inſi-
gni malo, nouerca: vt,

*Dies quandoq; parens, quandoq; nouerca.*

Nec potuit Canidię venefice odium ſupremum exprimere ſigni-
ficantius Horatius, *lib.Epod.od.5.* quam illo verſiculo,

*Quid, vt nouerca, me intueris?*

¶ Nec † ſolum liberis alienis nouerca nocet, verum & ſæpe quę 35
nuptias repetit, propriis officit: & fœminæ immoderatæ & in-
temperantes plerunque nouis maritis, non ſolum res filiorum,
ſed etiam vitam addicunt: vt ait Conſtantinus Cęſar, *l.lex quæ tuto-*
*res,22.§.lex enim,de adminiſt.tut.lib.5.C.tit.37.* ¶ Ideo † cum Septi- 36
tia mater Trachalorum, filiis irata, & in cõtumeliam eorum, cum
iam parere non poſſet, Publio ſeni admodum nupſiſſet, poſtea
quoque vtrumque teſtamento prætериiſſet: aditus Auguſtus, &
nuptias mulieris, & ſuprema iudicia improbauit, *Val. Max.lib.7.*
*c.7.* Nec patitur etiam Iuſtinianus, *l.Iuſtin.l.fin. verſ pen. de ſecun.*
*nupt.C.* genitores qui ſeſe ſecundis nuptiis deuouerint, irrationa-
le odium ad priores liberos forſitan habentes, ſine iuſta ratione
ingratitudinis, inſimulare: neque innocuam poſteritatem iniu-
riis afficere. ¶ Nuptiarum † quoque ſecundarum etiam iniuria 37
viſa eſt pertinere Iuſtiniano ad maritũ mortuum, cuius animam
per eas contriſtari ratus eſt, *§. quæ vero, de nupt.in auth.* vt opinor,
quia animis conſtat amor verus coniugalis, *l.3.de donat.int.virum*
*& vxor.P.* & animi ſunt immortales. Et proinde, indiuiduum a-
morem perpetuum eſſe exiſtimamus: vt & Langobardi, qui re-
dimendam vxorem, ab heredibus prioris mariti, per ſecundum
maritum pretio ſtatuerant. Sic enim lex apud illos ſancita per
Rotharium regem, in hæc verba, *l.ſi quis filiam ſuam,de ſponſal.ti.2.*
*legum Longobar. Si quis filiam ſuam, aut quãlibet parentem in cõiugio*
*alii dederit, & contigerit caſus, vt illi maritus moriatur: poteſtatem*
*habeat illa, ſi voluerit, ad alium maritum ambulandi liberum tan-*
*tum. Secundus autem maritus, qui eam tollere diſponit, de ſuis propriis*
*bonis medium pretii, quantũ fuerit dictum, quando maritus primus*
*eam deſponſauit pro ipſa meta dare debet ei, qui heres proximi mariti*
*prioris eſſe inuenitur: et ſi noluerit accipere, habeat ipſa mulier, Morgin*
*cap, & quod de parentib.eius adduxerit, id eſt, Phaderfium. Parentes*
*vero eius poteſtatẽ habeant eam dandi ad aliũ maritũ, vbi & ipſa &*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*illi voluerint. Et Mundium eius prioris mariti non habeant parentes,*
*pro eo quod denegarunt voluntatẽ ſuam: ideo redeat Mundiũ eius ad*
*parentes proximos, qui prius eam ad maritum dederint: etſi parentes*
*eius non fuerint legitimi, tũc Mundium eius mulieris, ad curtem re-*
*gis pertineat. Et ſi talis fuerit mulier, quæ maritum non vult, aut non*
*poſſit habere: ſit in eius poteſtate, ad quem Mundium de eo pertinet. Et*
*ſi ille eam male habuerit vel tractauerit, & probatũ fuerit, tunc liceat*
*ei ad parentes ſuos reuerti: & ſi parentes non habeat, ad quos ipſa re-*
*uertatur, ad curtem regis habeat refugium, & Mundiũ eius regis ſit.*
38 hæc apud Longobardos lex. ¶ Iure † ciuili mulier, quæ ſuſceptis ex
priore matrimonio liberis ſuperſtitibus, trãſit ad ſecũdum, etiam
poſt annum luctus, amittit proprietatem rerum, quas ex faculta-
tibus, priorũ maritorũ perceperit, ſiue iure ſponſalium, aut ſole-
mnitate nuptiarum, aut donatione cauſſa mortis, vel legati, vel fi-
deicõmiſſi titulo: eaſq; vel ad oẽs liberos prioris matrimonii, vel
ad vnum illorũ, conſeruata aliis legitima, tenetur relinquere, ſolo
vſufructu penes illam remanente, quamdiu vixerit, ſublata alie-
nationis poteſtate, vt ſanxerunt Gratian. Valentin. & Theodoſ. *l.*
*fœminæ, 3. in princ. & §. 1. & auth. in donatione, de ſecun. nup. C.* ¶ De-
39 inde † & illi inhibita harum rerum inter liberos diſtributio, vel e-
lectio alicuius ex liberis: atq; omnibus quia omnibus æque irro-
gata iniuria: repetitione matrimonii, per legem fuerunt diſtribu-
ta, *§. ſi vero exſpectet, verſ. venient autem, de nupt. in auth. lucrum, de*
*ſec. nup. C.* Quę & in marito repetente nuptias locũ habet, vt amit-
tat lucra omnia, quę ex priore matrimonio, & vxore, cuius exſtant
liberi, ſiue nomine dotis, vel alio titulo conſequutus eſt, & ea te-
neatur relinquere iiſdem liberis, nec eligere quẽquam ex illis poſ-
ſit, *l. generaliter, 5. iunct. auth. lucrum, de ſec. nupt. C. §. hoc autem, de*
*non elig. ſec. nub. in auth. coll. 1. tit.* 2. ſed illi a lege vocati, etſi heredes
non fuerint patris, ea conſequantur, *d. l. generaliter, § 1 de ſec. nupt.*
*auth. heres, de eod tit.* Niſi ingrati ſint parentibus, *d. auth. heres, de*
*ſec. nup. C. § ſi vero exſpectet, & §. quoniam infirmas, & §. ſoluto, de*
40 *nupt. in auth. coll. 4.* ¶ In † fauorem quippe liberorum hæc donata
vel relicta creduntur. Et quanquam ſpeciem indictæ viduitatis,
hoc videatur habere improbatam: tamen cum magis cura libe-
rorum, quam viduitas iniungi videatur, æquiſſime recipitur, vt
ait Terentius Iuriſc. *l. ſed ſi hoc, 61. §. fi. de condit. & demonſtr. P.* Re-
mittitur namque hæc pœna ſublatis liberis prioris matrimonii,
41 *l. fœminæ, §. illud de ſec. nup. C.* ¶ Atq; † optimum, laudabile, & di-
gnum viſum eſt Iuſtiniano, *§. cum igitur, verſ. optimum, de non elig.*
*ſec. nub. in auth.* vt mulieres ita honeſte ſe habeant, quatenus quæ
ſemel ad virum venerunt, ſeruẽt inuiolatum morientiũ thorum:
*Et huiuſmodi,* inquit, *mulierem & miramur, & laudamus pariter, &*
*non procul a virginitate ponimus: non tamen vt ideo ſecundæ inhibe-*
42 *antur nuptiæ illis, quæ continere non poſſunt.* ¶ Quod † ſi nõ conuo-
let ad ſecundas nuptias maritus ſuperſtes, vel vxor in lucro dotis,
& donationis propter nuptias, vna cum liberis partem ſucceden-
do faciet in proprietate quoque, *auth. ſi tamen abſtineat, de ſec. nub.*
*C. §. quia vero mulieres, vt fiat fil. & c. in auth. collat. 9. conſtit.* 7. *§. ſo-*
*luto igitur, de nup. coll.* 4. Et poteſt libere eadem, quæ ex lucro prio-
ris matrimonii capit abſtinens a ſecundo, libere alienare, vel libe-
ris, vel extraneis diſtribuere. Neque poſſunt liberi reuocare, vel
petere alienata, niſi inteſtatus inteſtatave deceſſerint: quo caſu
quæ non alienata reperiuntur, petunt filii, & ex illis nepotes, *l. ſi*
43 *quis, 8 §. illud etiam, de ſec. nup. C.* ¶ Et † ex lege Theodoſiana, *l. ma-*
*ter quæ defuncto, 9. ad SC. Tertul. lib. 6. C. ti. 55.* ita demum filio, ple-
no iure, ſuccedebat, ſi poſt mortem filii non repetebat nuptias: at
lege Iuſtiniani, ſuccedit, etſi ſecundo nubat, in vſufructu, vt dixi-
mus, ſi alii filii ſint prioris matrimonii, & in proprietate, ſi nõ ſint:
ſiue filii prioris matrimonii mortui ſint ante ſecundas nuptias, ſi-
ue poſt ſecundas matris nuptias, *d. l. fœminæ, §. illud, de ſec. nupt. C. §.*
44 *hinc nos, de nupt. colla. 4. in auth.* ¶ Dummodo † tranſiens ad ſecun-
das nuptias, ſi legitimam ſuſcepiſſet tutelam filiorum, prouideat
dari tutores filiis: alioquin eorum ſucceſſione priuaretur, *l. omnẽ*
45 *matri, 6. ad SC. Tertul. C.* ¶ Fauore † liberorum receptum nouella-
rum iure eſt, vt inſtituto herede extraneo generaliter, non cenſe-
antur ea lucra illi relicta nec translata, niſi expreſſe in alios tranſ-
poſitio fiat, ſed præſumatur teſtator reſeruaſſe liberis, *§. deinceps,*
*& §. ſoluto, de nup. coll. 4. conſtit. 1. auth. nunc autem, de ſec. nupt. lib. 5.*
*C. tit. 9.* quamuis iure Codicis aliter fuiſſet receptũ, *l. ſi quis prio-*
46 *ris. 8. §. ſi certum eſſe ſancimus, de ſec. nup. C.* ¶ Sed † & receptum eſt
ex communi & certiori interpretum calculo, *authent. defuncto, ad*
*Tertul. C. §. conſequens, de heredit. ab int. ven. coll.* 4. etiam ea quæ pa-
ter vel mater conſequitur ex bonis filii primi matrimonii dece-
dentis, cum hodie *glo. in l. fœminæ, §. illud, in verb. poſſeſſione delata,*
*& ibi Bart. late videndus, qui contra. ſoluit de ſecun. nupt. C. l. matre.*
*quæ defuncto, 5. ad Tertul.* illis ſuccedant in proprietate, vna cum
aliis filiis, teneri reſeruare aliis filiis eiuſdem matrimonii, nec poſ-
ſe alienare, ſcilicet ſi ab inteſtato ſucceſſerint: diuerſum enim, ſi
ex teſtamento illorum, vel codicillis, vt quilibet extraneus, *auth.*
*ex teſtamento, C. de ſecun. nup. §. hinc nos, de nup. in auth. §. cum igitur,*
*de non elig. ſec. nub. in auth.* habuerint: quia videtur remiſiſſe iniu-
riam filius, *§. fi. de iniur. ap. Iuſtinia.* ¶ Verum † obſeruandum eſt, 47
quando mulier, vel vir, qui nuptiis ſecundis ſe coniunxerunt, ſuc-
cedunt ab inteſtato filiis prioris matrimonii, ex bonis quidẽ, quæ
fuerunt ex priore coniuge mortuo, per mortem filii ad ſe perue-
nientibus, nihil poſſe retinere, ſi alii fratres ſint. Ceterum bona
quæ aliunde filio præmortuo peruenerant, & in quibus cum fra-
tribus defuncti ſuccedunt, illis quæruntur: nec reſeruant inuiti
prioribus liberis fratribus defuncti, authen. ex teſtamento. de ſe-
cund. nupt. C. ibi, quæ ex paterna ſubſtantia, &c. iunctis §§. ex quo-
rum corpore ſumta eſt auth. Sed & pater qui habet vſumfructum
in bonis aduentitiis filii, *§. igitur, per quas perſo. cuique acqui. l. cum*
*oportet, de bonis quæ lib. C. l. 1. de bono mater. C.* & maternis, eo non
priuatur, ſi tranſit ad ſecundas nuptias, *Iuſtin. in l. fin. de bonis ma-*
*ter. C.* ¶ Sed † & Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius *l. ſi qua* 48
*mulier, ad SC. Tertul. lib. 6. C. tit. 55.* voluerunt, habentem liberos
mulierem, ad ſecundas nuptias tranſeuntem, infamem quoq; eſ-
ſe: ſicut de ea diximus, quæ intra annũ luctus nubebat, niſi a prin-
cipe gratia infamiæ fieret, & illa medietatem omnium bonorum,
quæ eſſent tempore nuptiarũ, iiſdem filiis titulo donationis ſim-
plicis & irreuocabilis largita fuiſſet: cuius tamen vſumfructum
dum viueret retinere poterat. ¶ Obſeruandum † tamen hic eſt, de 49
lucris agi ex priore matrimonio procedentibus, vt liberorum ex
eo natorum commodis reſeruentur: non autẽ de iis quæ redeunt
ſoluto matrimonio ad coniuges, quæ illorum ante coniugium e-
rant, vel nomine illorum data. Si quidẽ donatio propter nuptias,
quam vir ſuperſtes retinet, quam tenebatur mulieri dare, ſi prior
deceſſiſſet, ſibi non liberis cedit. Sicut & dos, quæ, mortuo mari-
to, ad vxorem rediit, non quæritur prioris matrimonii liberis, ſiue
ab ea, ſiue ab alio eius nomine data fuerit, vt notat Imperator Ze-
no, *l. ſi liberis, 18. de dona. ant. nupt. lib. 5. C. tit. 3.* Sunt enim hæc pro-
pria patrimonia viri & vxoris, doſq; in patrimonii nomen tranſit,
*l. 3. §. fin. de minor. P.* ¶ Quod † & de donationibus reciprocis inter 50
coniuges excipiendum eſt, vtpote quæ compenſationis non lucri
nomine potius cenſeantur, *Vlp. l. quod autem, 8. §. ſi vir, de don. int.*
*vir. & vxo. lib. 24. P. tit. 1. l. ſi pater puellæ. C. de inoffic. teſt. l. de fideicõ-*
*miſſo. C. de tranſact.* & permutationis, *l. ſed etſi lege, §. conſuluit, de pe-*
*tit. heredit. in P.* itidem & in remuneratoriis donationibus, vt pro
lucris non habeantur, *l. quod in vxorem. de nego. geſt. C. l. ſi quis pro*
*vxore, 22. de don. int. vir. & vxor. in P. l. Attilius Regulus, de dona. in*
*P.* ¶ In † propriis autem bonis, qui, quæve habet ex priore matri- 51
monio liberos, & in coniugium aliud tranſit, alias pœnas patitur:
nempe quod non poſſit ſecundæ vxori, vel marito repetito, vel ex
illis vitrico nomine donationis propter nuptias, ſi vir vxori dare,
vel ſi mulier dotis cauſſa, vel vitrico, teſtamento, vel alio modo
donare, plus quam vni ex liberis, cui minus dederit, prioris matri-
monii. Quod ſi aliter factum ſit, datum reuocatur: & ex conſtitu-
tione Leonis & Anthemii, *l. hac edictali, 6. C. de ſec. nupt.* quod ex-
cedit ad liberos prioris matrimonii, æqualiter diuidendum redit:
& ſecundum conſtitutionem Iuſtiniani, *l. quoniam, 9. cod.* etiam
cum ſecundi matrimonii liberis partiendum. Quæ tamen emen-
data fuit nouella, *§. 1. §. nec illud. & §. optime, de nupt. in auth. coll. 4.*
*tit. auth. ad eos. C. de ſec. nupt.* & ſecundum priorem Leonis & An-
themii ſtatutũ, vt ad ſolos prioris matrimonii liberos, quib. ſolis
ſecundis nuptiis irrogata videbatur iniuria, contemtave cura,
pertineret. Fit autem æſtimatio portionis relictæ vel coniugi ſe-
cundo, vel vitrico, & eius, quod filio prioris matrimonii relinqui-
tur, habita ratione ad bona quę ſunt binubo tempore ſuæ mortis,
*§. quia vero hactenus de nupt. in auth. collat.* 4. ¶ Poſſunt † tamen pa- 52
ter aut mater, qui liberos ex priore & ſecundo vel vlteriore ha-
bent matrimonio, reſeruatis ſingulis lucris ex ſingulis matrimo-
niis receptis, in propriis bonis, aliquem vel aliquos, ſiue prioris, ſi-
ue ſecundi matrimonii præferre, dummodo reliquis legitimam
relinquant: quia ſi inteſtati deceſſerint, & bona propria inter o-
mnes cuiuſvis thori fuerint, deductis lucris, diuiduntur, *Iuſti. in §.*
*illud quoq; qui finalis eſt de nup. colla. 4. in auth. tit.* 1. ¶ Neq; † omit- 53
tendum eſt, coniuges qui prædeceſſerint factis donationibus, vel
legatis vel lucris, ſuperſtitibus relinquentes, poſſe prouidere, ne
liberalitates illæ in priores pœnas incidant, ſi tranſeat ſuperſtes ad
aliud

aliud matrimonium: quippe quod receptum ſit, expreſſe donan-
tem hoc poſſe prohibere, permittendo expreſſe, vel tacite, vxori
vel viro, cui relinquitur ad alias peruenire nuptias, vt eo modo et-
iam ſi nubant, propria habeant, *Bald. in l. 1. de ſec. nupt. C. & in l. fi-
lium quem habentem, fam. erciſc. gloſ. in §. duo igitur, cir. princip. titu.*
54 *in ver. ſine vir, de nupt. in auth.* ¶ Sicut † & filii quoque, quibus per
ſecundas nuptias quæruntur hæc lucra, conſentiendo ſecundo
matrimonio, amittunt hoc priuilegium, *Angel. in l. non eſt, P. ad
Tertul. Angel. in §. 1. de non elig. ſecun. nub. in auth. Angel. in l. mater,
C. ad Tertul.* vt vtrumque notat, & diſputat Franciſcus Cremen-
ſis, *ſing. 74.* & Ludouicus Romanus, *ſing. 250. & conſ. 219. quod in-
cipit, in Chriſti nomine ex themate conſultationis promiſſæ.* volenti e-
nim non fit iniuria, vel dolus, *l. cum donationib. de tranſact. C. l. 1 §.
vſque adeo, de iniu. in P. l. ſcienti, de reg. iu.* Diximus autem has pœ-
nas priores deferendorum lucrorum, vel potiſſimum introdu-
ctas: quod prior maritus cenſeretur reliquiſſe hæc vxori, vt cura
eſſet illi diligentior liberorum. Atque res ſubiecta reſtitutioni,
conſentientibus iis, in quorum gratiam inducta eſt, firma rema-
55 net, *l. quoties, C. de fideicommiſſ.* ¶ Contendit † tamen Ludouicus
Romanus, *ſingul. 250.* virum non poſſe remittere pœnas mulieri
tranſeunti ad ſecundas nuptias intra annum luctus: quia nubat
ita contra bonos mores, vt conſtat ex *l. 1. de ſecund. nupt. C.* dum ad
morum correctioné illam legem pertinere traditur: & quæ con-
tra mores bonos ſunt, teſtamento caueri nequeant, *l. turpia, & l. ſi
quis inquilinus, §. fin. de legat. 1.* Cuius tamen opinio vera eſt apud
illos, inter quos pœnæ nubentis intra annum luctus retinentur:
non autem inter nos Gallos, quibus, vt ſupra dictum eſt, placuit
cum iure pontificio remitti. ¶ Et † ſi honeſtius ducamus, ſi fieri 56
per continentiam poſſit, annum luctus innuptam tranſigere. ¶ In
pœnis † porro *l. hac edictali, de ſec. nupt.* nulla recepta eſt remiſſio. 57
Sed hic ſingulare annectendũ eſt de antiphernis, ſeu adiancamẽ-
to, ſeu incremento dotis, quæ mulier ſuperuiuens marito lucra-
tur, & de dote, quam mutuo in totum vel pro parte lucratur ſu-
peruiuens vxori, ex ſtatuto vel conſuetudine locorum, vt Toloſæ:
quod eadem lucra debent ſeruari ſolis liberis eius matrimonii,
repetitis nuptiis, nec communicari liberis ſecundi, *facit l. fœmi-
næ, in princ. & auth. vxore, de ſecund. nupt. C. §. Gregoriana, verſ. per-
ſpeximus, de non elig. ſec. nub. in auth.* vt notant Baldus, *ad auth. vxo-
re, de ſecund. nupt. & authent. ex teſtamento, & in l. generaliter, §. il-
lud, eo.* Butrigarius, *ita conſuluit*, Franciſcus Cremenſis, *ſing. quæſt.
172.* qui Baldi ſententiam, *in l. fin. in fin. de bon. mater.* quæ videba-
tur contraria, conciliat, vt locum habeat in vſufructu,
non in proprietate, quam reſtituere
cogitur.

# DE PERSONIS EXTRA LEGITIMAM CONIVNCTIONEM NATIS, ET NOMINATIS. LIBER X.

## De Concubinis. Cap. I.

1 *Concubinatus habet vmbram & ſimilitudinem matrimonii.*
2 *Pellex eſt concubina cum vxore, & ſine ea.*
3 *Pellex Gellio, concubina cum vxore.*
4 *Concubina Ethnicis antiquis vxorato prohibita, permiſſa cælibibus, iure Pandectarum.*
5 *Concubina digna non erat nomine vel honeſtate matrisfamil. ſed vilis.*
6 *Conſuetudo habita cum muliere libera, præſumtionem facit nuptiarum.*
7 *Concubinæ quæ apud Hebræos.*
8 פלגש *pilegeſch, ſeu concubina Rabbinis, vxor ſine ſolemnitate ducta, cuius filii, patri non ſuccedebant, niſi in muneribus.*
9 *Concubina ab vxore, ritibus non affectione differebat.*
10 *Concubinas ſingulas ſingulis adminiſtratoribus prouinciarum, ſi vxores non haberent, permiſit Alexander Imper.*
11 *Concubinarum intemperatus numerus ante Euangelium vſurpatus cum vxoribus.*
*Commodus habuit 300. In Palmaria quiſque quæ vult. Salomoni fuerunt 700. & 300. Valdomiero regi Moſcouitarum, 800.*
12 *Concubines vnum, vel plures Lituanicæ mulieres pro facultatibus mariti habebant.*
13 *Concubinum vnum vxori proximum viri permiſit lex Solonis, impotente viro.*
14 *Concubinatus Athenis Demetrio prohibitus.*
15 *Concubinatus iure ciuili Chriſtiano prohibitus.*
16 *Concubinatus prohibitus iure Pontificio, & omnis coitus extra nuptias: multo magis & clericis.*

1 LEgitima † explicata nuptiarum tractatione, incidi-
mus in concubinatum, vbi ſimilitudo quædam &
vmbra matrimonii apparet: de quo quædam dixi-
mus, dum de ritibus Romanorum circa nuptias, &
de triplici ſpecie vxorum egimus *ſuperior. lib. cap. 5.*
explicantes concubinam vxorem eſſe, quæ vſu habebatur. Siqui-
dem ſolus concubitus prolis cauſſa, nulla nuptiarum intereuni-
2 ente ſolemnitate, interueniebat. ¶ Referam † hac de re Pauli Iu-
riſc. verba, *l. Maſurius. 144. de verbor. ſign. lib. 50. P.* quæ ita ſe ha-
bent: *Maſurius ſcribit libro Memorabilium pellicem apud antiquos
eam habitam, quæ cum vxor non eſſet, cum aliquo tamen viuebat,
eamque nunc vero nomine amicam, paulo honeſtiore concubinam ap-
pellari. Caius Flaccus in libro de iure Papiriano ſcribit, pellicem nunc
vulgo vocari, quæ cum eo, cui vxor ſit, corpus miſceat: quoſdam eam,
quæ vxoris loco ſine nuptiis in domo ſit, quam Græci παλλακὴν vocant.*
Laurentius Valla, *lib. 6. elegant. c. 48.* vtriq; ſententiæ ſubſcribit, &
verum eſſe pellicem, ſeu melius pellacem eſſe eius, qui vxorem
habet, & eius qui non habet, quod firmat exẽplis. ¶ Gellius † *Noct.* 3
*4. cap. 3.* tradit pellicem concubinam appellatam, probroſamque
habitam, quę vincta conſuetaq; eſſet cum eo, in cuius manu man-
cipioq; alia matrimonii cauſſa foret: quod antiquiſſima lege o-
ſtenditur, quam Numæ regis fuiſſe accepimus. *Pellex ædem Iuno-
nis non tangito, ſi tangit, Iunoni crinibus dimiſſis agnum fœminam
cædito.* ¶ Quibus † verbis improbatus concubinatus cum eo, qui 4
vxorem haberet, etiam iure priſco oſtenditur, veluti adulterinus:
Sicut & iure Codicis repetita eſt, poſt multa ſecula, huius prohi-
bitio, *l. 1. de concubin. C.* Cum tamen concubinatus cum cælibe
permiſſus fuiſſet, & extra pœnam iure Pandectarum, *l. in concubi-
natu, de concubi. P.* ob vitanda adulteria aliorum, & plurium ſcor-
tationes, malo hoc tolerato, vt maius pelleretur. ¶ Non † tamen 5
per omnia probato: quando & imminuta honeſtas eius mulieris
eſſet, quæ ſe in concubinatum dediſſet: ea enim, niſi liberta eſſet
patroni concubina, matrisfamilias honeſtatem non habebat, *l.
ſtuprum intelligitur, de rit. nupt. 1.* Permiſſus quidem in libertinis
& vilibus perſonis proculdubio concubinatus, dũmodo ſine ſtu-
pro eſſet, hoc eſt, dummodo cõcubina nõ fuiſſet in concubinatu
alias patris vel filii, vel conſanguineæ perſonę, *l. 1 & 2. de concub. P.*
De ingenua honeſtiore aliquando dubitatum, *l. 3. eod.* Attamen &
Aurelianus Imperator eam poſſe quoque haberi decreuit, vt au-
ctor Flauius Vopiſcus, *in Aurel.* & idem Iuſtinianus, *leg. ſi qua il-
luſtris, l. 5. § final. ad Orficia.* ¶ Placuit † tamen Modeſtino, *in l. in li-* 6
*bera. 24. de rit. nup. lib. 23. P. tit. 2. facit l. ſi vicinis, de nupt. C. cum di-
ſtinctione l. in concubinatu. §. 1. de concubin. in P.* in liberæ mulieris
conſuetudine non concubinatum, ſed nuptias intelligendas, ſi
non corpore quæſtum fecerit. ¶ Et † apud Hebræos quoq; inter- 7
dum concubinæ dictæ ſunt, ancillæ concumbentes: interdum &
illæ vxores, quæ præter legitimos ritus, & conſuetas ſolemnitates
coniungebantur. Quod & vſurpatum nationibus reliquis, ali-
quot exemplis oſtendemus. ¶ Rabbini † itaque dicunt in ſacris 8
eloquiis, פלגש pilegeſch, ſeu concubinam eã eſſe, vxorẽ concu-
bitus gratia abſque בהובת ו קידושין chetuba ue kiduſſim,
id eſt, ſcripto vel annuli ſubarrhatione ductam, cuius filii non ſuc-
cedebant patri in hereditatem, ſed datis muneribus ablegabãtur.
Ita Agar Ancilla dicitur vxor Abrahæ, *Gen. 16.* Cethura quoque
vxor eiuſdẽ mortua legitima Sara, *Gen. c. 25.* Vocantur aũt poſtea
cõcubinæ, dum dicitur, *Gen. eod.* quod Abraham omnia quæ poſ-
ſidebat, dedit Iſaaco filio ex vxore legitima, ſcil. Sara, filiis autem
concubinarum largitus eſt munera. Sic iunctę feruntur coniugio
ancillæ, *Gen. 30.* Iacobo Bala, & Zelpha, cum tamen vxores legiti-
mæ eſſent illi Lya & Rachel. Iſtæq; cõcubinæ erant ſubditę in do-